Hungary

16. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

ELSŐ OSZTÁLY: OKMÁNYTÁRAK.

KILENCZEDIK KÖTET.

PEST, 1862.

[illegible]

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

DIPLOMATARIA.

IX.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

ELSŐ OSZTÁLY.

9.

KILENCZEDIK KÖTET.

PEST, 1862.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

CODEX DIPLOM. ARPADIANUS CONTINUATUS.

ÁRPÁDKORI
ÚJ OKMÁNYTÁR.

A M. TUD. AKADEMIA TÖRT. BIZOTTMÁNYA

MEGBIZÁSÁBÓL KÖZZÉ TESZI

WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. RENDES TAG.

NEGYEDIK KÖTET.

1272—1290.

PEST, 1862.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER RÁHT PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

Pest, 1862. Nyomatott Emich Gusztáv magy. Akad. nyomdásznál.

TARTALOM.

1272.

1273.

Lap

1274.

1275. körül.

1288.

ÁRPÁDKORI
ÚJ
OKMÁNYTÁR.
IV.

1.

IV. vagyis Kun László királynak Revisnye birtokra vonatkozó adománya Hocymer számára. 1272.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris presentes literas inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod dum Hocymer quandam particulam terre Revissnye vocitatam ad usum duorum aratrorum in Arva existentem ad resarcicionem mortis filii sui a nobis sibi dari petiverat, sed quia de facto ejusdem terre veritas nobis non constabat, Michaeli Comiti de Zolyom dilecto et fideli nostro dederamus in mandatis, vt terram eandem statueret Hocymero supradicto, nullius justicie derogando, qui nobis suas literas in hec verba destinavit.

Excellentissimo ac beneficentissimo domino suo Ladislao Dei gracia Regi Hungarie Michael Comes de Zolyom inclinacionem cum servicio fidelitatis. Literas Vestre Dominacionis recepimus continentes, quod terram Revissnye in Arva existentem sub metis et terminis antiquis Hocymero statuerem perpetuo possidendam. Cuius quidem terre mete distinguuntur: incipit enim prima meta e parte magne ville, vbi duo fluvii coniunguntur, videlicet fluvius Chenk et fluvius Revissnye, et per ipsum fluvium ascendendo vadit ad arborem pomi; deinde flectitur ad vnum monticulum Hradek nominatum; deinde tendit versus occidentem ad montem Saar; deinde procedendo currit per montes ad montem Valch; per summitatem eiusdem montis currit versus orientem, et per-

venit ad egressum fluvii Beztrech; et deinde flectendo currit versus meridiem per bonum spacium, de ipso fluvio exit, et vadit vltra vallem Hork, tangendo dumum spinarum et vergendo directe pervenit ad tres fontes lutosos; et abhinc descendit ad riuulum Chenk, et pervenit ad primam metam et ibi terminatur.

Vnde nos considerantes fidelia servicia eiusdem Hocymer, que nobis impendit et impendere promittit in futurum, predictam terram Revissnye sub predictis metis et terminis dedimus, contulimus et donauimus supra dicto Hocymero, et per eum suis heredibus, heredumque suorum, successoribus perpetuo et irrevocabiliter possidendam. Vt igitur nostre donacionis series robur perpetue firmitatis obtineat, in eius rei documentum presentes eidem Hocymer concessimus literas, sigilli nostri duplicis munimine roborando. Datum per manus magistri Nicolai, Albensis Ecclesie Transylvaniensis Prepositi, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo secundo, Regni autem nostri anno primo. Venerabilibus Philippo Strigoniensi, perpetuo Comite eiusdem loci, Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis; Lamperto Agriensi, Job Quinque-Ecclesiensi, Comite Musuniensi, Briccio Chanadiensi, Philippo Vaciensi, aule charissime matris nostre Cancellario, Paulo Vesprimiensi aule nostre Cancellario, Timotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi, et aliis Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Laurencio Palatino, Comite Supruniensi, Joachimo Bano tocius Sclavonie, Nicolao Vajuoda Transilvano, Comite de Zonuk, Ladislao Comite Posoniensi, Erney Magistro Tauernicorum, Comite Varasdiensi, Alexandro Bano, Judice Curie nostre, Emerico Comite Simeghiensi, Paulo Bano de Zeurino, Ponith Bano, Comite Zaladiensi, et aliis quamplurimis Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

(Gr. Batthányi József kézirati gyűjteményéből. Ezen okmány 1391-ben hitelesnek találtatván, a Regestrum Turoczense 21-dik szakába kivonatilag iktattatott.)

2.

X. Gergely pápa IV. László magyar királyhoz uralkodásának kezdetén intézett intései. 1272.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio nostro . . . Regi Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Habes, fili carissime, unde humiliato apud Dominum spiritu et corde contrito in vocem exultationis et confessionis erumpas , ut exultes in ipso , et eius circa te immensa beneficia fatearis : ipse namque tibi donavit tantis oriri natalibus, immensis habundare divitiis, et primogenitum concedere Regie predestinavit Excellencie successorem. Ipse clare memorie patre tuo de hac luce subtracto, te in annis iuvenilibus constitutum ad paterni solii culmen secundum omnipotentiam sue virtutis erexit. Quid igitur retribues Domino pro tantis, que tue tribuit iuventuti ? profecto si paternis aurem inclines affatibus, si pio patri de tua salute sollicito et eius salutaribus monitis acquiescas, Regnum tuum ab ipso , per quem datur regnare Principibus, recognoscens, ad eum, a quo bona cuncta procedunt, omnia tibi collata beneficia referes. Illi iuventutis tue primitias offeres, ad ipsum fortitudinem tuam custodies, et residua vite tue tempora in continuatione salutaris propositi, et piorum prosecutione ope rum devovebis favendo Ecclesiis, ipsarum libertates et iura, nec non et ministros Dei, personas ecclesiasticas confovendo. Hec enim tibi annos vite producent, hec dierum longitudinem ministrabunt, hec firmabunt procul dubio thronum tuum : hiis itaque ab annis teneris tuum animuum imbue, hiis informa, talibus assuesce, ut per consvetudinem mores fiant, nec perverti possint amplius conversa quodammodo in naturam : ad quod Serenitatem Regiam monemus et hortamur in Domino, sano nichilominus tibi consilio suadentes, quod etiam consiliarios et alios familiares tibi assumere studeas , qui te in semitas mandatorum Domini dirigant, non perversis sug-

gestionibus a via rectitudinis abstrahant, nec exemplis detestandis abducant, tuum statum pacificum diligant, tuos subditos foveant et sua lucra in alienis dispendiis non venentur qui erga tuam et carissime in Christo filio nostre . . . Regine Ungarie Illustris, consortis tue, carissimi in Christo filii nostri C. Regis Sicilie nate personas fidelitate ac devotione debita polleant, sincero affectu serviant et consilii maturitate clarescant. Decet siquidem circa tuam et ipsius Regine custodiam sollerter intendere, ipsamque ob claram generis sui prosapiam, ob singularem sui generis claritatem, et tanti Principis, sui genitoris, obtentu, cuius virtus eminet, cuius probata strenuitas evidentia probationis experimentalis elucet, iuxta tantarum circumstantiarum exigentiam singulariter honorare, ut eiusdem Regis animus tibi vinculo tante affinitatis astrictus, toti Regni tuo et ipsius incolis proinde fortius astringantur. Nos autem zelantes etiam temporaliter prosperum statum tuum, ad ipsius conservationem et promotionem in tuis oportunitatibus Magnificentie Regie promptitudinem Apostolici favoris offerimus, et ob hoc ipsam tam affectuosis monitionibus prevenimus volentes ut ad nos et tuam matrem, Romanam Ecclesiam, cum omni fiducia et securitate recurras, que tibi oportuna fuerint, cum habundantia paterne dulcedinis, quantum cum Deo poterimus, percepturus. Et ecce, ad tui favoris augmentum venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque Prelatis Ecclesiarum, nec non Comitibus, Baronibus et aliis Magnatibus Regni tui affectuosas pro te litteras destinamus, ipsos ad exhibendam tue Celsitudini affectionis et devotionis debitum, tibique constanter et fideli consilio et auxilio — — — — commoditatibus assistendum efficaciter et multipliciter exhortantes.

(Theiner, Monumenta Historica Hungariam Sacram illustrantia, I. kötet, Róma 1859. 304. l.)

3.

X. Gergely pápa Magyarország főpapjait és főurait felszólítja, hogy a királyt tanácscsal és tettel támogassák. 1272.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis et aliis Ecclesiarum Prelatis, nec non Comitibus, Baronibus et aliis Magnatibus per Regnum Ungarie constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Sacerdotium et Regale Imperium non multo ab alterutro differunt, sed velut a clementia collata celesti, ab uno procedentia, eodemque principio, eadem origine, sola sunt ministeriorum distinctione divisa, altero, ut Divinis ministret, reliquo, ut humanis presideat, instituto. Verum hec ipsorum ordinata discretio tanto promptius officiosa sibi debet diversitate servire, quanto amplius alterum alterius eguit semper auxilio, dum tam Regalis Eminentia sacerdotali auctoritate dirigitur ad salutem, et Regnorum collisiones suffragiorum ipsius interventione pacantur; quam ipsum sacerdotium Regie potentie favore protegitur, et illius tutamine in tuto locatum ab impiorum insultibus defensatur. Curare itaque debent, curare summopere gubernantes Imperia et Regna regentes, ut Ecclesias et personas ecclesiasticas foveant, libertates et iura tueantur ipsarum, et temporalia hiis fulcimenta non subtrahant, a quibus spiritualiter fulciuntur; imo in omni promptitudine temporaliter illos communiant, quorum presidio spiritualia recipiunt munimenta. Sed nec minus, qui Ecclesiarum gubernacula gerunt, summa esse cura solliciti omni debent ope satagere, ut Reges ceterique catholici Principes debite polleant integritate potentie, status sui plenitudine integrentur: consulte namque illis assistitur, quorum cedit prosperitas in auxilium assistentis. Debent quippe toto niti conamine, ut Regna pace refloreant, statu pacifico vigeant et tranquillitate optata fru-

antur. In hoc enim Ecclesiis ipsis quietis et pacis commoda procurantur. Ad vos itaque, fratres et filii, paternus sermo convertitur, vos hiis sollicitamus affatibus, vos talibus oraculis commonemus, Universitatem vestram monentes, rogantes, et hortantes in Domino, ac vobis nichilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus pensantes consultius, quid Regnis dissidentibus in se ipsis evangelica veritas comminetur, evulsis inter vos zizaniorum radicibus et simulatibus cunctis expulsis, studeatis sinceritatem caritatis mutue confovere, ut quo solidius viguerit inter vos caritative unitatis integritas, eo promptius ad carissimum in Christo filium nostrum . . . Ungarie Regem Illustrem pie, nec minus debite dirigentes sinceritatis et devotionis affectum, constanter eidem in oportunitatibus assistatis, ipsum dirigentes consilio, et auxilio fulcientes : et tam sibi, quam in Christo carissime filie nostre Ysabelle Regine Ungarie Illustri, consorti eius, nate carissimi in Christo filii nostri C. Regis Sicilie Illustris, que tam propter etatis sue innocentiam et generis sui clari prosapiam, quam propter eiusdem sui genitoris excellentiam est non immerito multipliciter honoranda, honorem exhibentes debitum, et ad vitanda ipsorum pericula non solum adhibentes diligentiam, sed oportuna subsidia cum omni diligentia et attentione prestantes : ut cum eiusdem prosperitas status pactionis arriserit, ipsi vestre recognoscentes fidei puritatem, eam condigne retributionis beneficiis prosequi teneantur, nosque, qui quod eidem Regi maxime in hac sui novitate regiminis auxilii exhibebitur et honoris, gratum habebimus plurimum et acceptum, in prompta exhortationum nostrarum executione, devotionis vestre promptitudinem acceptantes, uberioris favoris benivolentia prosequamur.

(Theiner id. m. l. k. 305. l.)

4.

X. Gergely pápa II. Otakart, cseh királyt inti, hogy az V. István magyar királylyal kötött békességét annak utódjával IV. Lászlóval is tartsa. 1272-

Gregorius Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio . . . Regi Boemie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Paternum ad tue Celsitudinis incrementa morem gerimus, dum te ad ea, que saluti expediunt et honori tuo congruunt, sollicitis monitionibus invitamus : persvasiones itaque nostras devota mente suscipias, ad ea, que tibi benigne suggerimus, apertos habiturus oculos, et aures illis adhibiturus intentas; ut in rationis deducta secretum et ipsius examinata scrutinio admittantur devotionis et pressius (expressius) imprimantur : admissa et impressa fructificent, germinatura pacem et productura quietem, precidendo inimicitiarum causas et amicitias augmentando. Nosti, fili carissime, quod post varia et gravia guerrarum discrimina, quas inter te ac clare memorie Stephanum Regem Ungarie inimicus humani generis pacis impatiens excitavit : post graves ex eis hinc inde personarum strages, grandiaque rerum secuta dispendia, disponende pacis actore, inter te ac Regem eundem reformata concordia firmata sunt federa iuramenti et penarum adiectione, confirmationis nostre ad tuam et ipsius instantiam ac aliarum firmitatum robore confirmata, que idem Rex toto vite sue tempore dicitur observasse. Ceterum memorato Regi carissimus in Christo filius Latizlaus Rex Ungarie, ut tua novit sublimitas, in Regno successit: qui cum sit adhuc etatis innocentis, de nulla contra te potest offensa notari. Et cum ipsum filiis tuis uniat, sicut accepimus, sanguinis unitas, contra eum nulla tibi de futuro verisimilis potest esse suspicio, quam naturalis potius non solum excludere debet omnino coniunctio, sed et suspicantium corda ponere in tranquillo. Ad observanda igitur illi cum memorato geni-

tore ipsius inita federa tanto efficacius tuam debet Excellentiam horum consideratio invitare, quanto iudicium est de preterito certius, ea per ipsum non esse hactenus violata, et de futuro verisimilius credi potest, nec imposterum violanda. Adicit autem ad servande a te huiusmodi observationis instantiam : quia si quis in eodem genitore vel eius subditis forsan argui possit excessus, idem Rex L. ad emendationem cum debite satisfactionis promptitudine iuxta conventiones in federibus predictis adiectas dicitur esse votivus. Et quia nec gloriosum foret Celsitudini Regie, nec glorie Regali, magnificum in pupillum insurgere, aut etatem tam teneram impugnare : ideoque Serenitatem Regiam monemus, rogamus et hortamur in Domino Jehsu Christo, in remissionem tibi peccatorum suadentes, quatenus predictas conventiones diligenter observans, ab omni memorati Regis L. suorumque offensa et iniuria studeas penitus abstinere, in hoc non solum eiusdem Regis L., et carissime in Christo filie nostre Ysabelle consortis ipsius, nate carissimi in Christo filii nostri . . . Regis Sicilie Illustris, etati defenens, sed ad eundem Regem Sicilie, virum quidem tante excellentie ac virtutis, cui Celsitudini tue utile fore credimus in sinceritate caritatis uniri, prout te decet, attendens, nostrisque monitionibus, que honorem etiam tuum respiciunt, cum tue Magnitudini congruat premissa servare, taliter acquiescens, quod ad tua commoda memorati Regis Sicilie animum attrahas, et apud nos proinde augmentum tibi favoris acquiras.

(Theiner id. m. I. k. 306. l.)

5.

Sándor országbirónak Hricso vár tulajdoni jogáról hozott itélete. 1272.

Nos Alexander Judex Curie domini L(adislai) Incliti Regis Vngarie, Comes de Vrbaz, memorie commendantes significamus vniuersis per presentes, quod cum Dominicus filius Nicolay quondam Comes de Sarus Nicolaum filium Pauli de genere Beech ordine judiciario conuenisset coram nobis, uolens requirere ab eodem Castrum Hrychouo cum possessionibus, villis, vtilitatibus, pertinencijs et attinencijs suis, idem Nicolaus exhibuit priuilegium Bele Regis pie memorie, duplici sub sigillo eiusdem Bele Regis et sub sigillo Phylipi, venerabilis patris Archiepiscopi Strigoniensis, tunc temporis aule Regie Cancellarij, in quo uidimus contineri: quod idem dominus Rex predictum Castrum Herychou cum possessionibus, uillis, utilitatibus, pertinencijs et attinencijs suis supradictis propter fidelia seruicia eiusdem Nicolai sub veteribus et antiquis metis contulerit ipsi Nicolao et eius heredibus jure perpetuo pacifice et quiete possidendam; exhibuit eciam priuilegium Regis St(ephani) felicis recordaciones, in quo nobis patuit euidenter, ut idem Rex St. collacionem seu donacionem karissimi patri sui, dicti Bele Regis confirmasset, et ipsum Castrum Hrychou cum predictis omnibus possessionibus seu villis, et alijs utilitatibus predictis eidem Nicolao reliquisset. In eodem eciam litis strepitu ipse Dominicus exhibuit quasdam litteras cursuales Regis St. supradicti, in quibus uidimus contineri, quod ipsum Castrum Hrychou cum omnibus possessionibus ad idem Castrum pertinentibus predictus Dominicus ab eodem Rege St. in concambium cuiusdam possessionis sue sibi dari postulasset. Sed quia eedem littere ad cause meritum non sufficiebant, ut per easdem sepedictum Castrum et possessiones prenotate teneri potuissent, et eciam idem Nicolaus tam ualida priuilegia habuit, sicut superius est expressum, ob hoc Castrum se-

pefatum, possessiones, villas et omnes utilitatetes quam pluris (!) nominatas eidem Nicolao, prout iuris ordo deposscebat, reliquimus perpetuo pacifice et irreuocabiliter possidendam atque possidendas; predicto Dominico, et consequenter suis heredibus heredumque successoribus super huiusmodi requisicione silencium perpetuum imponentes. In cuius rei memoriam et perpetuam stabilitatem presentes dicto Nicolao concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno ab Incarnaciore Domini M°- CC°- septuagesimo secundo, quintodecimo Kalendas Januarij.

(Az eredeti után, bőrhártyán, melyről az országbiró pecséte függ.)

6.

Bruno olmüczi püspök több országról, s ezek közt Magyarország állapotáról jelentést tesz X. Gergely pápának. 1272.

Sanctissimo patri, domino G(regorio) Sacrosancte Romane Sedis Summo Pontifice, B. Dei gratia Episcopus Olumicensis, debitam reverentiam devotaque pedum oscula beatorum. Sanctitatis vestre litteras et mandatum, quod continebant, reverenter, ut decuit, suscepimus; et devote, etsi non exacta, ea tamen, qua potuimus iuxta conditionem temporis, sumus illud diligentia executi. Quod vero in missione litterarum, quas vobis rescripsimus, tardasse videmur, supplicamus humiliter et devote, quatinus Sanctitatis Vestre clementia nos in hoc excusatos habere dignetur. Receptis enim litteris vestris, ad exequendum id, quod continebant, nulla prius propter diram guerre commotionem inter Serenissimum dominum nostrum Regem Boemorum Illustrem, et dominum Ungarie nobis obtulit se facultas. In hiis etiam, que Sanctitati Vestre sub spe fiducie scripsimus, provida et circumspe-

cta discretio vestra nobis, quod necessarium arbitramur, valde cavere dignetur. Datum XVII. Kal. Januarii.

Quoniam dies mali sunt ad instantis temporis maliciam redimendam, immo potius propulsandam, Vestre providentia Sanctitatis indixit Concilium, ut communi consilio malis communibus occuratur, inter cetera mandans nobis, quatinus ea, que in Regno Alemanie et partibus convicinis, prout facultas aderit, sive in Clero cuiuscunque religionis aut status, vel in reliquo populo Christiano utriusque sexus, sive in infidelibus cuiuscumque secte vel ritus conversantibus inter eos, quatenus per illos Christiana religio infici potest seu quomodolibet fermentari, correctionis remedio indigere videntur, per nos aut alios viros ad hoc ydoneos, non quidem per testes iuratos seu alios ordinaria inquisitione, sed alia investigatione, que per familiares collationes et alios diversos indagandi modos cum religiosis, et aliis execrantibus maxime vicia colentibusque virtutes haberipoterit, diligenter exquirentes, ea singillatim, distincte et aperte conscripta, nec non et consilia de remediis adhibendis ad correctionem et reformationem illorum sub sigillo nostro per aliquos fideles nuncios ad presentiam vestram mittamus, in missione huiusmodi tempus ipsius preveniendo Concilii per sex menses, ut interim haberi possit competens discussio et plena deliberatio ad oportuna exquirenda, ut decet, antidota circa illa per approbationem eiusdem Concilii adhibenda. Volentes nos omni cautela et diligentia providere, ut ad investigationem predictorum taliter procedatur, quod nulli per hoc irrogari possit infamia, nec adversus aliquem proinde scandalum suscitari. Quod quidem intelligimus de personis specialibus, non in genere, presertim cum mandaveritis in Clero cuiuscumque religionis aut status in Regno Alemanie et partibus convicinis, in reliquo populo Christiano utriusque sexus fieri hoc debere. Nos igitur in hiis vestro parentes mandato, non secundum opinionem procedere intendentes in hiis, que per experientiam didicimus, quod scimus, loquimur, et quod vidimus potestamur: quoniam secundum Apostolum periculosa tempora iam venerunt, in quibus homines se ipsos amantes preponunt commodo reipublice rem privatam. Unde non solum Regnum Alemanie, sed ubique hec pestis in tantum invaluit, quod quan-

tum est in hominibus sive spiritualibus sive secularibus, horrentes iuga superiorum, in Regum electionibus, et eciam Prelatorum, aut tales eligunt, quos eis subesse oporteat potius quam preesse, aut in diversos dividunt vota sua, duabus forsan de causis; ut plus emungant a pluribus quam ab uno; aut ideo, ut si voluerit unus procedere per rigorem iusticie, contra ipsum per alium se defendant. Ecce, pater et domine reverende, exemplum huiusmodi coram vestris oculis est et nostris iam preteritum et iam instans; preteritum in electione Regis Yspanie et Comitis Richardi; et nunc Regis Yspanie et Comitis Rudolphi. Hoc ideo vobis scribimus, quia in littera prima, quam de Concilio scripsistis super uno principali articulo celebrando, qualiter subveniatur terre sancte, eadem subventio iam debilitata videatur, cum Imperii turbatio penitus turbet eam, cuius reformationis cosilii credimus esse summam, quod talis, si fieri possit, per vestrum consilium haberetur Imperator, consilio Concilii adiuvante, qui potenter, ordinata pace in mundo, posset esse huius executor negotii propria persona. Certe, domine reverende, si audemus dicere, videtur, quod tam spirituales quam seculares Imperatoris potentiam iam abhorrent. Volunt quidem per Spiritum Sanctum benignitatem Imperatorum habere, et per unigenitam sapientiam Dei Patris Imperatorem eligere sapientem; sed quasi personam tertiam abnegantes, potentiam ipsam horrent; cum tamen velle et scire nihil valeant sine posse, et magis expediens videatur, quod unius potentia, etiamsi aliquantulum malignari vellet, malignitatem aliorum nichilominus compescendo toleraretur quam si sine compescente insolescerent universi. Illius saltem malignitatem mors deleret unius, plurium insolentiam de facili delere non posset, cum iam in consvetudinem devenisset. Hec de Regno Alemanie sufficiant, quamvis in eis exprimendis nos diminutos potius quam superfluos reputemus.

Confinia vero Regni circa terminos nostros hec sunt: Ungaria, Ruschia, Lethovia et Pruscia.

Hec vero sunt pericula a Regno Ungarie Christianitati imminentia: Primum quod in ipso Regno Cumani manutenentur, qui non solum alienigenis, sed etiam ipsius Regni incolis atrociter sunt infesti, et modo apud alios minus solito

preliandi, infantibus et senibus non parcentes, juvenes et juvenculas captivatos in sui ritus malicie deducunt consvetudinem, ita quod potentiam suam taliter iam multiplicaverunt per eosdnm, quod ipsi Ungarie certum ex hoc immiret periculum et iactura, et terris etiam convicinis. Item in eodem Regno manifeste heretici et scismatici confoventur, terrarum profugi aliarum. Ecce ipsa Regina Ungarie est Cumana, proximi parentes eius gentiles sunt et fuerunt. Due filie Regis Ungarie Ruthenis, qui sunt scismatici, desponsate fuerunt. Soror iuvenis huius Regis Vathatio est tradita, Ecclesie inimico.

Rutheni sunt scismatici, et Tartarorum nichilominus servitores. Lethwani et Prutheni velud gentiles plures Episcopatus Polonie iam penitus deleverunt.

Isti sunt parietes proximi nobis, in quibus, cum ardeant, rem nostram agi sine dubio iam videmus. Ut ergo de Principibus Teutonie taceamus, adeo in se sunt divisi, ut superiorem habere non intendant, quod desolationem et destructionem sue terre unus ab altero expectare videtur. Unde ad Christianitatem in nostris partibus defendendam, vel ad dampna transmaritimarum partium propulsanda inhabiles sunt omnimodo. Soli Regno Boemie imminere videtur in partibus nostris defensio fidei Christiane. Certe per has terras fuit introitus Tartarorum, et iterum expectatur. Nisi ergo vestra paterna providentia cavere voluerit periculis iam vicinis, sic studens in acquisitione terre sancte, quod non relinquat in periculo terras istas; volentes vitare Karibdim in Cillam utique incidemus.

De Clero vero scribimus ita vobis, quod in illis quidem, que sunt de vita et honestate eorum, satis in aliis Conciliis est provisum. De quibusdam vero emergentibus in terris nostris et nobis vicinis, nescimus autem, si sint generalia apud omnes, credimus ita esse : quod quoad paucitatem beneficiorum et eorum tenuitatem nimietas est, qui gaudere volunt privilegio clericali, ex quo nobis, qui Prelati sumus, maxima perplexio consuevit oriri. Cum enim talibus provideri non possit, coguntur mendicare in opprobrium ordinis clericalis; vel quod deterius est, nolentes fodere, artes mechanicas nescientes, quarum commercio vitam ducant, ad furta, la-

trocinia et sacrilegia convertuntur, et in talibus comprehensi quandoque traduntur Episcopis, quorum tandem carcerem evadentes, perseverantes tamen in malicia consveta, interim deprehensi suppliciis deputantur, manibus indicantium et consentientium inquinatis, adeo ut multitudinem effrenatam propter hoc accidat aliquando denunciari excommunicationis vinculum incidisse, propter quod inter Prelatos et laicos frequenter scandalum suscitatur. Placeat ergo Sanctitati Vestre, ex quo tanta est distantia Episcoporum in partibus nostris, quod de facili ad degradacionem talium convenire non possint, in talibus casibus, ubi incorrigibiles inveniuntur clerici, primo, secundo, et tertio in factis enormibus deprehensi, valeat Episcopus sine convocatione Episcoporum eos solus in sua sollempni Synodo, approbante ipsa Synodo, degradare, vel aliter propter multitudinem ipsos clericos capientium, sine difficilli accessu Curie Romane, ipsis laicis vestra studeat paternitas in absolutionis beneficio providere.

Sunt alia vero, in quibus Clerum et Ecclesias seculares, conventuales, seu parochiales adeo contingit offendi, quod Sedem Apostolicam ab huiusmodi filiabus iam non oporteat expectare, quod crescant, cum eas cotidie in rebus et iuribus minui et decrescere videamus. Illa enim ostensio, que per Dominum in Evangelio et per Moysen in Veteri Testamento leprosorum sacerdotibus debebatur, per quam peccantium confessio intelligitur, de medio est sublata. Predicationis verbum, quod eis in commisso sibi populo competebat, audiri contempnitur ab eisdem. Ipsas Conventuales et parochiales ecclesias in diebus dominicis et festivis non contingit a populo frequentari, et hoc maxime in civitatibus et oppidis, ubi predicatores et minores domicilia sua habent: solent enim dicti fratres primo diluculo dicere missas suas, usque ad horam tertiam non cessando, preter unam autem, quam dicunt solempniter in Conventu, legendo breviter continuant plures missas, et quoniam gaudent brevitate moderni, populus querit pocius missas alias, conventualibus et parrochialibus ecclesiis pretermissis. Consueverunt etiam dictis missis fratres detinere populum per sermonem, quare alias ecclesias non visitant, ut deberent. Consveverunt etiam dare indulgentiam duorum, trium, quatuor, decem et plurium an-

norum in diebus solempnitatum suarum, et per octavas earum, de indulgentiis, quas a singulis Episcopis colligere consveverunt. Vidimus etiam quasdam litteras papales, quas habent, indulgentiarum cotidie centum dierum eis, qui visitaverint ecclesias eorumdem. In quibus omnibus non solum ecclesiis civitatum ipsarum, sed eciam Liminibus Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et aliorum Sanctorum, que exinde non frequentantur, sicut prius consuetum fuerat, non modicum derogatur. Vobis eciam, pater reverende, et aliis confratribus vestris et Coepiscopis, Legatis eciam a latere vestro missis, non bene sedere videtur, quod cum in cotidianis predicationibus vestris et nostris non plus, quam quadraginta dies dare consueverimus, eorum auctoritas excellere nos videtur. Quid ergo restat faciendum, immo nichil aliud fit cotidie, nisi quod nomen fratrum patribus preiudicet, sacerdotibus videlicet, Episcopis, immo vobis, et pastores admodum dici non debeamus, nec oporteat vultum agnoscere pecoris nostri in confessionibus, nec pabulum eis predicationis affere, nec curare infirmum, nec consolidare confractum, cum ipsi de hiis omnibus, nobis invitis et irrequisitis se cotidie intromittant, privilegiatos se in eo per Sedem Apostolicam asserentes. Unde quia non communicamus vivis, nec eciam communicamus defunctis, sive in oblationibus, sive in canonica portione. Hinc enim dicti fratres in civitatibus quasi omnium hominum sepulturas habent. Semen clericorum quod in testamentis quandoque steterat, nunc a testamentis dinoscitur penitus cecidisse, et legata sunt ab eis penitus relegata.

Hec quidem sunt dampna, que clerus sustinet ab eisdem; exinde autem plura inconvenientia subsecuntur. Certe cum Dominus Beato Petro Apostolo simul commiserit ius ligandi atque solvendi, et cum contrariorum esse debeat eadem disciplina, miramur, qualiter ius solvendi habere se dicant, cum non habeant ius ligandi, nec etiam habere vellent; cum etsi committatur eis etiam ab Episcopis, quod aliquem excommunicent, reddunt se difficiles tamquam exemptos: timent enim ex hoc eis displicere, contra quos hoc esset forsitam faciendum. Volunt quidem bibere calicem vini meri, cum tamen plenius sit mixto, et fex eius non sit exinanita, bibendam illam clericis relinquentes. Videntur enim dicti fratres

non curando curare, cum curam non habeant animarum: utilitatem cure percipiunt, et eius periculum recusantes habere, presunt sine sollicitudine, honorem cure habentes sine onere et sine discriminis proprii periculo, agnoscentes crimina aliorum. Item auctoritas eorum in confessionibus audiendis penitentiariorum vestrorum videtur excedere potestatem. Illi enim remittunt ad nos absolutos pro penitentia iniungenda: isti vero absolvunt et iniungunt penitentias sine nobis. Legati a latere vestro missi legationis sue terminos exeuntes, Archiepiscopi et Episcopi extra suas Dioceses de absolvendo et ligando intromittere se non possunt: fratres vero ad quascumque terras veniunt, iniungunt penitentias et absolvunt, excellentes in hac iurisdiccione omnes iurisdicciones ordinarias, et eciam delegatas. In hiis omnibus consilium vires nostras excedit: sed vestrum est pocius providere, quod et Prelatorum et Cleri auctoritas conservetur, et nichilominus iam sanctorum ordinum multitudo maxima valeat sustentari, mediam forte viam tenendo inter dominum Innocentium papam IIII. et III. Alexandrum, quorum unus pro clero, alter pro fratribus suas constitutiones dinoscitur edidisse.

Quoniam autem iniunxistis nobis, aliquid consilii nostri in mare magnum discretionis vestre presumimus instillare, videlicet quod a confessionibus audiendis quoad consulendum non arceantur fratres, sed pro absolutionibus et penitentiis iniungendis remittant nichilominus confitentes ad legitimos sacerdotes. Et quamvis fratres alias sunt exempti, tamen quoad confessiones audiendum, et etiam predicandum eligantur ab Episcopis tantum, qui ad hoc ab ipsis habiles et ydonei iudicentur, habentibus potestatem eos, qui secus presumpserint, per censuram ecclesiasticam compescendi, et eciam predicationis silentium imponendi perpetuo eis, qui in predicationibus suis clero detrahere consueverunt.

Ne autem, sicut dictum est supra, populus in predicatione fratrum distrahatur a missis in propriis parochiis audiendis, statuere potestis, ut ab ipsis fratribus tantum in parochiis predicetur, nisi forsan in fratrum festivitatibus, dedicationis videlicet et patroni, sub cuius titulo speciali eorum ecclesia est fundata. Videtur eciam, quod cum ordines isti super paupertatem et mendicitatem penitus sint fundati, ni-

chil propriis manibus laborantes; cum hoc sine maximo mundi preiudicio stare non possit, quod qui non laborat, manducet, et hoc in multitudine nimium effrenata, prohibere merito debeatis, et eciam Episcopis, ut prohibeant, potestatem dare, ne Conventum accipiant in locis omnibus, ubi placeat. Ubi autem hoc fieri possit et debeat, fiat requisita et accepta Episcopi voluntate.

Item, pater et domine reverende, discrecio vestra sciat, quod eciam ab aliis quibusdam religiosis Monasteriis parochiales ecclesie diminuuntur ex eo, quod laici, qui jus patronatus habent in eisdem, religiosis Monasteriis illud dare solent; cuius occasione predicta Monasteria, parte reddituum ipsius ecclesie sibimet reservata, secularibus clericis, quos presentant, vix tantum relinquunt, ut taceamus de hospitalitate servanda, quod sufficere sibi possint. Presentant eciam quandoque religiosos ordinis sui, dicentes ex privilegio Sedis Apostolice hoc eis licere, et revocant eos quando volunt, forte alia non de causa, nisi quod cum eis pro velle suo bona ecclesie minime parciuntur, alias fingentes causas contra ipsos, de quibus eos coram Episcopo accusare recusant, asserentes, quod non debeant fratres sui ordinis infamare, cum illi tamen Episcopo presentati coram ipso velint defendere famam suam.

Sciat eciam vestra paternitas reverenda, quod excepto Rege Boemie, qui solus presentat Episcopo ad ecclesias sibi vacantes, in quibus ius obtinet patronatus, investiendos clericos sicut debet, omnes alii in Pragensi Diocesi hoc facere contradicunt, et ita ascendunt ad regimen animarum sacerdotes, clavibus non acceptis: et eos destituunt ipsi laici, quando placet: et hoc dominus Episcopus Pragensis propter consuetudinem nimis inveteratam et propter multitudinem generaliter contradicentium reformare non poterit, nisi ei vestra auctoritas suffragetur. Hoc de clero vobis scripsimus, sicut de veritate omnimoda nobis constat.

De populo vero Christiano utriusque sexus vobis constare scimus, tamquam ei qui Leodiensis Archidiaconus extitistis, quod in illis et aliis quibusdam partibus Christianitatis Synodus aliquotiens in anno cum laicis servari consuevit, ubi testes sinodales ad hoc electi et iurati deponere consue-

verunt, et dicere, que contra Deum et religionem Christianam publice fiunt a laicis illo anno; vel eciam que fama accusat, contra quam vel purgare se contingit accusatos, vel non purgantes se, canonicam secundum terre consvetudinem non evadere ultionem. In aliis vero Diocesibus hoc fieri non obtinet consuetudo : unde laicorum impuniti manent excessus, si sint eciam manifesti. Si vero sacerdos tales forsitan voluerit in sua parochia accusare, frequenter ex eo sentit periculum vite sue. Provideat ergo Sanctitas Vestra, si placet, ut Christianitatis Synodus servetur ubique pro conservanda honestate populi Christiani, cum idem deposcat auctoritas evangelica, in qua dicitur : „Dic Ecclesie“, quod talia Ecclesie sunt dicenda.

Sunt eciam quidam et quedam apud nos religiosorum sibi habitum et nomina vendicantes, quos et quas, cum eorum non sit religio per Sedem Apostolicam confirmata, sectarum nomine credimus comprehendi, qui passim, ut iugum evadant obediencie, habentes velamen malicie libertatem, quasi liberius Domino servituri, dominos et dominas habere nolentes, fugentes eciam obedientiam sacerdotum, seu eciam cohabitacionem coniugii maritalis, et per aliquem ordinem se astringi : femine iuvenes in statu viduitatis se ponunt, illecte forsitan ab aliquibus, per quos nubere prohibentur contra Apostolum, qui de talibus ita dicit : „Vidua non eligatur, nisi sexaginta annorum“; item : „Adolescentiores autem viduas devita, volo autem huiusmodi nubere.“ Iste etenim sunt, que solent circuire domos non solom ociose, sed et verbose, unde et post sathanan sepius convertuntur retrorsum. Certe iste sunt religiose ille, que sub nomine honestatis, sicut olim contra Barnaban et Paulum, seditiones contra clericos suscitare sueuerunt, a quibus eciam in confessionibus fugiunt, nec recipiunt ecclesiastica sacramenta, innuentes tacite, quasi sacramenta in eorum manibus sint polluta. Consilium autem de huiusmodi aliud non damus, nisi quod Apostolus dedisse dinoscitur, sicut supra, quod tales nuberent, suam dicit omnimodam voluntatem, vel in approbatis religionibus retrudantur.

De infidelibus vero inter nos conversantibus, Deo teste, de hereticis nichil scimus. De Judeis vero dicimus, quod

Christianas habent nutrices, usuras patenter exercent, et eas indigentibus aggravant ultra modum, in tantum ut infra annum excedant ipsam sortem; publica exercent officia, thelonarii, monetarii fiunt, et cum alias sint infideles, fidem minimam eciam in hiis servant. Furatos calices, vestes sacras, nec non et libros recipiunt a furibus, et servant: et cum sic acceptos cogantur restituere Christiani, si apud eos fortassis inveniantur, Judei eos restituere non coguntur.

In hiis omnibus, que Vestre scripsimus Sanctitati, si diminuti forsan vel superflui invenimur, petimus, ut vestra discretio parcat nobis. Voluistis autem, ut vobis cum omni cautela et diligencia scriberemus, quod sine dubio nobis ipsis necessarium arbitramur; quoniam si littera ista de nomine nostro ad aliorum manus, quam ad vestras perveniret, scimus, quod persecucionis scandalum evadere non possemus.

(Theiner id. m. I. köt. 306. l.)

7.

IV. László király Hypolit gróf fiainak adományozza Ljudaföld nevű három ekényi földet. 1273.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in salutis largitore. Regie benignitatis sublimitas recto pensans libramine merita singulorum, et maxime illorum, quos sicut generosi sanguinis alta nobilitas et morum innata probitas, sic et approbate fidelitatis constancia ac stennuorum actuum experiencia efficiunt digniores, dum eos digne retribucionis beneficio refocillat, dum eis largitur quod merentur, multorum mentes ad fidelitatis florem excitat, et ad benemerendi studia fideliter obsequentibus prebet et prestat

2*

operosam fiduciam seruiendi. Hoc igitur pensantes ex animo, hoc Regali moderamine in cordis nostri reuoluentes armariolo, noticie cunctorum declaramus, quod cum nobiles viri Nicolaus, Vgra, Valentinus et Ypolitus, filii Comitis Ypoliti, fideles nostri, a primeuo iuuentutis sue principio auo nostro et patri nostro victoriosissimis Vngarorum Regibus piarum recordacionum, ac nobis demum ex conspicuis actibus meruissent multipliciter complacere, diuersis clarentes meritorum uirtutibus, se et suos in omnibus Regni expedicionibus et bellorum euentibus ut leones intrepidi dubijs fortune casibus submittendo; et specialiter in memoriam reuocantes, quod cum Boemorum Rex olim patris nostri, nunc vero noster et Regni nostri capitalis inimicus, fidei sue uiolator, fracta pace, ruptis treugis et neglectis iuramenti sui uinculis, ducens secum in auxilium florem milicie tocius Almanie, fines Regni Hungarie potencialiter adhijsset, Jarinum (igy) et quedam alia castra prodicionaliter occupando; nosque ad recuperacionem eiusdem Castri Jauriensis accessissemus, idem Vgra filius Ypoliti in expugnacione eiusdem Castri Javriensis tam iaculis quam lapidum ictibus mortis articulum pro Regni commodo non metuens wlnera letalia subportauit. In aliqualem igitur recompensacionem tot et tantorum seruiciorum suorum, licet maioribus digni haberentur, quamdam terram vduornicalem Liudafelde vocatam ad usum trium aratrorum sufficientem, iuxta terram eorundem filiorum Comitis Ypoliti Elya vocatam adiacentem, sepedictis filiis Comitis Ypoliti, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus dedimus, donavimus et contulimus perpetuo possidendam. In cuius terre corporalem possessionem eosdem Nycolaum et suos fratres per Comitem Gabrielem fidelem nostrum sub testimonio Conventus Symigiensis nullo penitus contradictore existente, sicut in eiusdem Conuentus litteris, cui inspeccionem et reambulacionem dicte terre de mandato specialiter commiseramus, contineri vidimus, fecimus introduci. Vt igitur huius nostre donacionis seu collacionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec processu temporum possit in irritum per quempiam reuocari, presentes concessimus literas sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Can-

cellarij dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo tercio, quinto kalendas Octobris, Regni autem nostri anno secundo. Vacante Sede Strigoniensi; venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Phylippo Vaciensi, aule domine Regine karissime consortis nostre Cancellario Comite Neugradiensi, Paulo Wesprimiensi, aule nostre Cancellario, Tymoteo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transylvano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gurbernantibus; Rolando Palatino; Enrico Bano tocius Sclauonie,Nicolao Woyuoda Transiluano Comite de Zonuk, Joachino Magistro Tawarnicorum nostrorum, Reynoldo Dapiferorum nostrorum Comite Zulga-Jauriensi, Vgrino Magistro Agasonum nostrorum Comite Symigiensi, Laurencio Magistro Pincernarum nostrorum Comite de Kewe et de Karasou, Moys Comite Symigiensi, Deudato Comite Zaladiensi, Michaele Comite Nitriensi, et alijs quam pluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

(Ugyan IV. László király 1279-ki megerősítő privilegiumából.)

8.

IV. László király megerősíti a pannonhalmi apátság alattvalói számára V. Istvánnak, törvénykezési kiváltságukat tartalmazó 1270-ki okmányát. 1273.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod Bonifacius Abbas Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie fidelis noster ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis priuilegium domini Stephani quondam Regis Hungarie Serenissimi inclite recordacionis, karissimi patris nostri, confectum super libertatibus populorum Monasterii memorati iuxta tenorem priuilegii Sancti Regis Stephani petens cum instancia, ut ipsum ratificare et nostro priuilegio confirmare dignaremur. Cuius tenor talis est.

Stephanus Dei gracia Rex Hungarie significamus stb. (következik V. István király 1270-ki okmánya, mely találtatik Okmánytárunk III. kötetében 230. l. 138. sz. a.)

Nos igitur peticionibus dicti Abbatis ex benignitate Regia fauorabiliter inclinati predictum privilegium karissimi patris nostri non abrasum, nec in aliqua sui parte viciatum ratum habentes et acceptum de verbo ad verbum presentibus insertum duplicis sigilli nostri munimine duximus confirmandum. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo tercio, sexto decimo kalendas Augusti, Regni autem nostri anno primo. Metropolitana Strigoniensis Ecclesie Sede vacante; venerabilibus patribus Stephano Colochensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Briccio Chanadiensi, Phylippo Wachiensi, aule domine Regine

karissime consortis nostre Cancellario, Comite Neugradiensi, Paulo Vesprimiensi aule nostre Cancellario, Tymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transsiluano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Rolando Palatino Judice Cumanorum, Henrico Bano tocius Sclauonie, Nycolao Woyda Transiluano Comite de Zonuk, Joachimo Magistro Thauarnicorum nostrorum Comite Posoniensi et de Pilis, Egidio Bano de Macho, Renoldo Magistro Dapiferorum Comite Zulgageuriensi, Wgrino Magistro Agazonum Comite Syrmiensi, Lauriencio Magistro Pincernarum nostrorum Comite de Kevy et de Crasv, Paulo Bano de Sceueryno, Moys Comite Symigiensi, Dedalo Comite Zaladiensi, Gregorio Comite Castri Ferrei, Johanne Comite Supruniensi, Mychaele Comite Nitriensi, et aliis quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

9.

IV. László király Péter és Máté testvéreknek a Chák nemzetségből Scynche birtokot adományozza. 1273.

Ladislaus Dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus presens scriptum inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in salutis largitore. Regie benignitatis sublimitas recto pensans libramine merita singulorum, et illorum, quos sicuti generosi sanguinis alta nobilitas et morum innata probitas, sic et approbate fidelitatis constancia ac strenuorum actuum experiencia efficiunt digniores, dum eos digne retribucionis beneficio refocillat, dum eis largitur, quod merentur multorum mentes, ad fidelitatis florem excitat, et ad bene merendi studia fideliter obsequentibus

prebet exemplum, et prestat operosam fiduciam serviendi. Hoc igitur pensantes ex animo, hoc Regali moderamine in cordis nostri revolventes armariolo, noticie cunctorum declaramus: quod cum nobilis vir et honestus magister Petrus, filius magistri Mathei de genere Chak, a primo iuuentutis sue principio, auo nostro et patri nostro, victoriosissimis Hungarie Regibus, ac nobis demum ex conspicuis actibus meruisset multipliciter complacere, diversis clarens meritorum virtutibus, quod longum esset propter sui multiplicitatem suo modo per singula enarrare; aliqua tamen de gestis eius, quorum quedam vidimus, que- dam a patre nostro, quedam a Regni Baronibus veraciter intelleximus, ad memoriam futurorum et informacionem ceterorum presentibus iussimus annotari. Primum siquidem cum dominus Rex pater noster tunc gerens terre transdanubialis gubernaculum a facie patris sui, qui eum ex infidelium instigacione, relegato paterne pietatis affectu, persequebatur, in castrum de Feketyuholm (Fekete halom) cum pauca comitativa declinasset, idem magister Petrus ex missione patris nostri sub castro Dewa contra Cumanorum exercitum viriliter dimicavit; quosdam ex eis captiuando, quosdam autem perimendo, triumphalem reportauit victoriam, negotium patris nostri inibi feliciter inchoando. Preterea cum castrum Borynka per inimicos patris nostri et Regni Vngarie exploratores fuisset occupatum; prefatus magister Petrus cum effusione sanguinis sui, et morte suorum recuperavit castrum illud et iurisdictioni restituit fidelium nostrorum, eliminatis infidelibus ex eodem. Ad hec cum praedictus auus noster transmissa armatorum multitudine primum nos et dominam Reginam matrem, et sorores nostras carissimas de castro Potok educi fecerat et extrahi; et exinde patrem nostrum inuestigari faciebat, machinans eum priuare iure geniture, et Regni diademate spoliare ipse magister Petrus, cum Matheo fratre suo, primum captiuauit speculatores exercitus aui nostri, contra patrem nostrum ad explorandum clancularie destinatos, quibus de captiuitate huiusmodi ad cautelam absolutis, per quorumdam Baronum, patri nostro fidelium, licet tunc ipsi auo nostro coacte famulancium, Saxones et alii homines regionis Transiluane ad Patrem nostrum redierunt, eum na-

turalem terre Dominum cognoscentes. In quibus quidem casibus patre nostro et nobis, quasi in desperacione positis, idem Magister Petrus cum eodem Matheo fratre suo, et cum quibusdam aliis sub castello predicto et locis aliis, repetitis nempe vicibus, pro honore et liberacione negocii patris nostri, dubiis bellorum euentibus se committere non expauit, potenter dimicando miliciam exercuit frequenter virtuosam; sudores bellicos et letalia vulnera sustinendo, maxime in eo conflictu, quando Laurencius, filius Kemyn, et multi alii capti fuerunt et iugulati. Sane cum Herney Banus, et alii aui nostri barones, prenotato persecucionis tempore, contra patrem nostrum armata milicia accesissent, idem magister Petrus cum prefato fratre suo, huiusmodi preveniens exercitum, ipsum Erney Banum devictum in prelio captiuauit; vbi ipse letaliter exstitit sauciatus. Item in Ilsuazeg cum idem pater noster contra Belam Ducem, Prewcilinum, Henricum Banum et alios ipsius aui nostri adiutores et Barones, conflictum haberet, idem magister Petrus, licet antea transfossus lancea, et sectus gladio militare non valeret, mori tamen pro patre nostro et nobis elegit pocius, quam ante consumacionem laudabiliter relinquere iniciatum negocium patris nostri; ubi coronam Regni Hungarie celitus nobis per successionem traditam in persona patris nostri obtinuimus, et recuperauimus per eiusdem magistri Petri fidelitatem commendabilem. In quo quidem conflictu, Bela Duce effugato, et Prewcelino interfecto, Henricus Banus cum filiis et complicibus suis exstitit captiuatus. Porro cum Ottocarus, Bohemorum Rex, tunc patris nostri, nunc autem noster capitalis inimicus, fidei sue desertor, violata pace, fractis treugis, et ruptis iuramenti sui vinculis, ducens in auxilium sibi florem milicie tocius Alemannie, contra patrem nostrum fines Regni Hungarie potencialiter adiisset; Posonium et quedam alia castra prodicionaliter occupando; idemque pater noster generalem leuasset exercitum contra eum, sepe dictus magister Petrus, simul cum eodem fratre suo, apud Posonium, post circa Musunium, quo idem Rex Bohemorum castra sua defixerat, milicie sue aciem ad bellum preparando, ac demum in fluuio Rebuche (Rábcza), vnde de area certaminis,quum patri nostro felix cesserat victoria, vt vix euasit fugitiuus; ante

alios irruens in adversum exercitum tales titulos triumphi, talemque laudem obtinuit victorie, quorum memoriam non tollet obliuio in eternum. Qui licet hinc inde impugnaretur, et pugnaret, Belam tamen Ducem tunc intimum patris nostri defensorem, et militem strenuum, eius equo in bello mortuo, ipse magister Petrus de medio cuney per probitatem suam et virtutem propriam redemit et reduxit. Ceterum post decessum ejusdem patris nostri nobis ad coronam Regiam et Regni solium per successionem hereditariam seu ordine geniture annuente Domino sublimatis, cum a dileccionis retribucione et fidelitatis munere, quibus idem magister Petrus propter tot meritorum suorum prerogativam a nobis fovendus fuerat, quidam emuli sui iniqua confederacione falsa suggerentes; et instigacione felle plena animum nostrum avertissent, cum de nostrorum fidelium contubernio, et de domo nostra occasionaliter non ex causa effugare studuissent privatum honoribus et magistratu Dapiferorum, quibus ab eodem patre nostro digne fuerat sublimatus; ipse in huiusmodi adversitate constitutus fidelitatis sue meritum, et obsequiorum premium, frequentem sanguinis sui effusionem cavens ex innocencia involvi oblivionis nubilo, in („quam" helyett) vicio ingratitudinis maculari semper mansit nobis in feruore fidelitatis, et aliis quos exaltaveramus ultra meritum nobis rebellantibus solus ipse magister Petrus ea, que sibi sic injuriose inrogata fuerant, pro beneplacito voluntatis nostre, licet non absque cordis amaritudine equanimiter toleravit. Verum igitur (!) peracto alicuius temporis curriculo ab illorum manibus, qui nos nequaquam bene gubernabant, erepti, cum inter alios sollicitudines nostras cepissemus intra mentis nostre archana revolvere et pensare in animo, qualiter idem magister Petrus cui obsequiorum remuneracio ad tempora nostra celitus fuit reservata, sine excessu suo privatus erat honoribus et quibusdam possessionibus suis, ac de domo nostra occasionaliter, sicut premisimus, effugatus, et qualiter huiusmodi vindictam iniuria amaritudinis non vacuam sibi ex aliorum mortifera fraude excogitatam pro nobis sustinuit pacienter, revocavimus eum, quia in nullo contra nostram Maiestatem apparuit excessisse, sine nota et irreprehensibiliter demorando. Et ut prenotatis et multis aliis actibus suis meritoriis per nos, licet

non ad plenum, satisfiat, contulimus sibi, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus totam possessionem Scynche cum tributis eius et vtilitatibus suis omnibus ac pertinencijs uniuersis, a Castro de Galgouch et eius jurisdiccione exceptam abantiquo penitus et exemptam jure perpetuo irrevocabiliter pacifice possidendam, sicut eciam primitus possessionem eandem magister Mauricius tempore Bele Inclyti Regis, avi nostri clare memorie tenuit pariter et possedit. Vt igitur hec nostre collacio robur obtineat perpetue firmitatis, neque per quempiam lapsu temporum valeat aliqualiter retractari, presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, decimo kalend. Junij, Regni autem nostri anno primo. Venerabilibus patribus Nicolao, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electo, aule nostre Cancellario; Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis; Lamperto Agriensi, Job Quinque-Ecclesiensi, Philippo Vaciensi aule Domine Regine, karissime matris nostre Cancellario, Comite Neugradiensi, Briccio Chanadiensi, Paulo Wesprimiensi, Thimoteo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi,Dionisio Jauriensi, et Petro Transilvano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus: Laurencio Palatino, Comite Supruniensi et de Barana, ac Judice Cumanorum; Henrico Bano totius Sclauonie; Egidio Bano de Macho et de Bozna; Johanne Wayuoda Transyluano, Comite de Zounk; Stephano Magistro Tauarnicorum nostrorum; Ladislao Judice Curie nostre, Comite de Bana; Reynoldo Magistro Dapiferorum nostrorum; Comite Zulgageuriensi; Vgrino Magistro Agazonum nostrorum, Comite Syrmiensi; Laurencio Magistro Pincernarum nostrorum Comite de Kewe et de Karasu; Paulo Bano de Zeurino; Emerico Comite Symigiensi Dedalo Comite Zaladiensi; Michaele Comite Nitriensi, et aliis quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

(Ugyan IV. László király 1274-ki megerősítő okmányából; mint alább 17. sz a. V. ö. Fejér Cod. Dipl. V. k. 2. r. 95. l.)

10.

Elias et Guelianus királyi udvarnokok az esztergami káptalan előtt vallják, hogy a birtokukban volt Ztorgár földét a király másnak adományozhatta. 1273. jul. 2.

Nos G. Prepositus et Capitulum Ecclesie Strigoniensis damus pro memoria, quod quidam, qui se Eliam et Guelianum de Ztorgar, ac liberos vduornicorum domini Regis esse dicebant, ad nostram accedentes presenciam, dixerunt: Quod cum dominus Rex terram ipsorum de Ztorgar Comiti Ogouch filio Mycou contulisset, ipsi recognoscentes, quod dominus Rex terram ipsorum conferre poterat, eandem terram suam iuxta uoluntatem et mandatum domini Regis, permiserint dicto Ogouch Comiti perpetuo possidendam, cum omnibus pertinencijs suis; ita quod decetero super ipsa terra eorum contra Comitem Ogouch nullam possint habere accionem. Idem eciam Elias et Guelianus uoluerunt et concesserunt coram nobis, quod omnes littere eorum, que super facto predicte terre in execucionem litis emanauerant, casse sint decetero, et careant uiribus ac uigore. Et cum littere domini Regis, in quibus ueritas huius rei nobis plenius declaretur, exhibite nobis fuerint, super predicta terra Elie et Gueliani, presentibus nobis representatis, dicto O. Comiti nostrum priuilegium concedemus. Datum tercio die post festum Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini, M°. CC° L°XX°. tercio.

Jegyzet. Bőrhártyára írott zárt levél, melynek behajtott vége, azután eleje fektetvén egymásra, mind a három rétegen keresztül vont hártyakötelék a Magyar Történelmi Tárban II.23. látható pecséttel, mint maradványai mutatják, volt lepecsételve. Hátirata ez: Pro comite Ogouch, super terra Elie et Gueliani. A kékköi levéltárban: AL. n. 18. *Érdy.*

11.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Lanch Pálnak fia, geudi nemes, Durug nevű földét Győr megyében vejére Jánosra, Bathyáni Primus fiára átruházta. 1273.

Magister Carachinus Prepositus Ecclesie Jauriensis totumque Capitulum loci eiusdem omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Lanch filius Pauli nobilis de Geud heredum solacio destitutus, sicut dixit, coram nobis constitutus viua voce est confessus, quod quia Johannes filius Primus de Bathyan gener suus predilectus, qui similiter coram nobis erat constitutus, sibi in omni paupertate sua manus porrexit adiutrices, ipsius inopiam ex visceribus pietatis releuando, et propter dileccionem domine Kata vterine sororis sue, vxoris scilicet dicti Johannis, cui tum causa proximitatis, tum eciam pro honoribus et seruiciis eidem intentissime impensis et exhibitis fraternaliter occurrere tenebatur, quandam terram suam Durug vocatatam (így) in Comitatu Jauriensi existentem hereditariam, et ipsum solum contingentem, sicut dixit, cum omnibus vtilitatibus et pertienciis suis et in eisdem metis et terminis, quibus ipse et pater suus pacifice possederunt, de consensu et permissione omnium vicinorum et commetaneorum suorum, prout asseruit, dedit, tradidit, contulit et donauit predicto Johanni et Pethe filio suo de predicta domina Kata procreato cum omnibus heredibus et heredum successoribus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Hoc adiecto, quod quicunque ipsam terram imposterum impetere attemptauerit, predictus Lanch tenebitur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem litteras nostras concessimus munimine nostri sigilli roboratas. Datum anno Domini millesimo CC°- septuagesimo tercio, Alexandro Rectore et Lectore, Myku Custode Ecclesie nostre existentibus.

(Eredetie a sz.-mártoni főapátság levéltárában.)

12.

A veszprémi káptalan bizonyságlevele, hogy Bonifácz pannonhalmi apát, és tordi udvarnokai a köztök fenforgó peres ügyeket barátságos úton egyenlítették ki. 1273.

Capitulum Vesprimiensis Ecclesie omnibus presentes inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam eciam futurorum volumus peruenire; quod Andreas centurio de Gamas pro se et pro Peturne Comite vduornicorum cum Poncoz et Paulo comparentibus pro se et pro Kenerche, Choom et Moys, sociis et cognatis suis, vduornicis de villa Tord ab vna parte; et Comes Nicolaus officialis venerabilis viri fratris Bonifacii Abbatis Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie pro se et pro eodem domino Abbate ab altera parte coram nobis constituti personaliter retulerunt, quod cum prefati vduornici de Tord ac Comes et centurio eorundem super quodam fenili, quinquaginta quinque iugeribus terre arabilis in territorio ville Tord existentibus ac octo vineis ibidem situatis contra predictum dominum Bonifacium Abbatem Sancti Martini coram magnifico viro domino Rolando Palatino, Daniel prestaldo eiusdem de Simigio existente, mouissent accionem, requirentes premissa nomine sui iuris; idemque dominus Abbas eosdem vduornicos de Tord super diuersis articulis a conuerso ordine iudiciario conuenisset; tandem cum inter partes vsque ad produccionem testium processum extitisset et diucius disceptatum, ex permissione judicum per arbitrium Johannis filii Chopoz, Johannis, Vradya et Kend de Tord, Ominus filius Ambrosij et Gune de Keleuez commetaneorum suorum in huiusmodi plenam pacem et concordiam deuenerunt: Quod prenotata quinquaginta quinque iugera arabilium terrarum et octo vineas, quas magister Sixtus Lector Strigoniensis tunc a domino Rege ad reambulandum iura vduornicorum deputatus, reambulando ipsis vduornicis de Tord predicto monasterio Sancti Martini reliquerunt et remiserunt iure per-

petuo ex pacifice possidere, mixtim inter iura aliorum hominum de Tord, prout monasterium sepe dictum dignoscitur ante possedisse; pro memorato autem fenili in Tord ante Grangian predicti monasterii a parte aquilonis existente et ad quantitatem quatuor iugerum sufficiente predictus dominus Abbas Sancti Martini fenetum suum in loco Bochmala wlgariter vocato situm similiter quatuor iugerum quantitatis prememoratis vduornicis de Tord in concambium et commutacionem assignauit et statuit possidendum irreuocabiliter et quiete. Et sic omnis lis et altercacio, que inter ipsas partes fuerat hactenus ventillata, sedata extitit penitus et sopita, cassatis et explosis litteris et cause aliis omnibus munimentis sentencionaliter statuendo, quod si que ex eisdem litteris fuerint aliqualiter reseruate, robore careant firmitatis; et si qua parcium presentem composicionem retractauerit, parti eam obseruanti viginti marcas nomine pene soluere debeat ante litem. In cuius rei testimonium et memoriam presentes litteras ad peticionem et instanciam vtriusque partis concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Cosme Lectoris Ecclesie nostre, anno Dominice Incarnacionis M° CC° septuagesimo tercio. |Reuerendo in Christo patre domino Paulo Episcopo nostro aule Regie Cancellario; magistro Paulo Preposito, Paulo Cantore, Rugas Custode existentibus.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

13.

Theodorik mester Koy földét nevezetes szabadságokkal uj gyarmatul adományozza. 1273.

Nos Magister Theodoricus significamus omnibus, quibus expedit per presentes, quod de consensu nostre consortis et filiorum nostrorum, terram nostram Koy uocatam, concessimus hospitibus, causa commorandi venientibus, tali tenore libertatem eisdem ordinando: Quod quinquaginta iugera terre arabilis ad quamlibet mansionem condonando, et pratum, sylvamque eisdem sufficientem, et riuulum eundem, exceptis duabus piscinis, possint libere piscari. Item in reuolucione quarti anni a die sui aduentus in festo Sancti Michaelis quelibet mansio pro terragio dimidium fertonem annuatim soluere teneatur. Item ab eodem tempore annuatim quelibet mansio denarios exercituales vnum pondus in festo Sancti Georgii soluere teneatur. Item in Natiuitate Domini hospites eiusdem uille portabunt pro muneribus vnum pecudem pascualem valentem vnum fertonem, et cereuisiam cum vase continente tres tinas, duos panes, et vnam gallinam de qualibet mansione. Item de iusta decima eorum unum pondus, quelibet mansio annuatim nobis soluere debeat. Ceterum Herbordum pro villico habeant, quamdiu fuerit ibidem conuersatus, et suam curiam sine debito libere possidebit. Post decessum vero vel recessum loco eius alium, quem voluerint ex ipsis, debeant ordinare, bonaque ipsius possit vendere eadem libertate. Item omnes causas ibidem exortas eorum villicus iudicabit, excepta causa furti, homicidii, et violencie, quam cum nostro homine iudicabit, duasque partes judicij nobis exigendo, terciam vero villico relinquendo. Item si voluerint ecclesiam edificare, liberam habeant facultatem, et sacerdotem, quem assumere voluerint, teneantur. Nec hoc pretermittimus, quod quicunque voluerit abire, (ob) tenta licencia, saluis rebus suis possit recedere clara luce. Item quicunque sine heredum solacio decesserit, bona ipsius cuicunque voluerit, relinquendi

liberam habeat facultatem. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio. Vt autem hoc factum ratum, et firmum perseueret, et ne a posteris possit revocari, presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas.

(Eredetie a szepesi káptalan levéltárában. *Hatvani Mihály.*)

14.

IV. László király Atrachyk fiait megnemesíti. 1274.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in omnium Salvatore. (Cum ab.) exordio rerum humane condicionis libertatis omnium una eademque fuerat condicio, Divina permittit pietas et idipsum Regia debet annuere benignitas, ut pro quibus propria, vel aliorum merita — — — ad pristinum libertatis (statum) restituendi fore censeantur. Proinde ad universorum noticiam tam (presencium) quam posterorum harum serie uolumus peruenire: quod cum Leustachyus, Petryk, Petryzlow, Martinus, — — Buhte, filij Atrachyk de filijs jobagionum Gumurien — — — — oriundi a primeuis juventutis eorum temporibus, in diuersis expedicionibus Regni — — karissimi patris nostri Stephani Illustris Regis pie memorie, quam nostris temporibus multiplicia gene — fidelium seruiciorum, et graciosa obsequia laudabiliter impenderint, ac deuote; ijdem specialiter, cum in Moraviam contra Regem Bohemie nostrum exercitum misissemus, cum sumpna fidelitate in — —is Regis Bohemie ualidas deuastationes, et uarias commiserunt, ibidemque sub Castro Loaa —to, prefati Leustachyus, Petryzlow, et Buhte, ac Nemyl studium sollite fidelitatis imitantes, uulneribus exti-

terunt letolibus sauciati, contra hostium cuneos intrepide dimicando; et licet prescripta obsequiosa merita, et meritoria obsequia Corone Regie fideliter impensa presentibus introseri debuissent, tamen ad presens propter uicium prolixitatis euitandum recitari ordine prom — — inter multiplicia seruicia prefatorum filiorum Atrachyk, per que ijdem coram Regie Maiestatis ob — — — fuerant commendandi, et gracia Maiestatis Regie extollendi nostre mansvetudinis oculis — — — recensentes, ut eorum exemplo reliquos ad fidelitatis opera exercenda deuote incitemus, prenominatos filios Atrachyk, et per eos propinquos eorum cognatos, Stephanum uidelicet, (et) Thomam filios Kurpaas, Chepanum, et Poukam filios Tyba, Bogyna filium Woyzlow, et Albertum filium Machyk, ac heredes ipsorum, heredumque suorum successores, de memorata cond'cione eorum pure, et simpliciter eximentes, cum hereditaria terra eorum, in numerum, cetum, et consorcium nostrorum seruiencium Regalium, de plenitudine nostre gracie duximus transferendos; uolentes, ut de cetero de pristine condicionis eorum honere exemti eadem perfruantur libertate, qua ceteri nostri Regni nobiles gratulantur. Ceterum quandam terram ipsius Castri Gumuriensis Harkach uocatam, quam idem karissimus pater noster prefatis filiis Atrachyk, et filijs Kurpas pro seruicijs eorum iuxta continenciam patencium litterarum suarum contulit, eisdem filiis Atrachyk, et Kurpas reliquimus, donauimus, et contulimus perpetuo possidendam. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti Budensis Ecclesie Prepositi, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini 1274. Indictione secunda, pridie kalendas Februarij, Regni autem nostri anno secundo. Metropolitica Strigoniensis Ecclesie Sede uacante. Venerabilibus patribus — Colocensi, et Johanne Spalatensi Archiepiscopis; Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Briccio Chanadiensi, Philippo Waciensi, aule domine Regine Cancellario, et Paulo Wesprimiensi, aule nostre Cancellario, Lodomerio Waradiensi, Thimotheo Zagrabiensi, Dionysio Jauriensi, et Petro Transsiluano, Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Dyonisio Palatino, Comite de Oklych et Judice

Cumanorum, Henrico Bano totius Sclavonie; Nicolao Judice Curie nostre, Comite de Gechke; Juachino Magistro Tawarnicorum nostrorum, Comite de Pilis; Nicolao Wayvoda Transsiluano, Comite de Zonuk; Paulo Bano de Scepus (? Sceurino); Renoldo Dapiferorum nostrorum, Comite Zulgageuriensi; Moys Comite Simigiensi; Dedalo Comite Zaladiensi, et Johanne, Comite Supruniensi; et alijs quam pluribus Comitatus, et honores Regni tenentibus.

(Közli *Ipolyi Mihály*.)

15.

IV. László király az erdély-fehérvári várhoz tartozó földeket Ders esperestnek, Miklós mesternek és testvéreiknek adományoz. 1274.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Vngarie significamus tenore presencium vniuersis, quod nos considerantes fidelitates et seruiciorum merita Ders Archidiaconi, et magistri Nicolai, fidelium nostrorum, fratrumque ipsorum, que ijdem karissimo patri nostro, et nobis postmodum impenderunt fideliter et deuote, quandam terram castri Albensis Transiluani, Euryghaz vocatam, concernentem intra suas metas, et limitacionibus suorum terminorum rura siue sessiones villarum Demegteluke, Gwyudteluke, Oslteluke et Syneteluke vocatas, ubi eciam sita est ecclesia beati Thome Apostoli, eximendo penitus a iurisdiccione dicti castri eisdem Ders Archidiacono, et magistro Nicolao, ac fratribus eorum dedimus, donavimus et contulimus perpetuo possidendas; in cuius terre corporalem possessionem eosdem per Comitem Andream de Gyong hominem nostrum sub testimonio Capituli Albensis Transiluani, presentibus jobagionibus castri, vicinis, et commetaneis omnibus, nulloque contradictore existente fecimus introduci, prout id

nobis per litteras dicti Capituli constitit evidenter. Datum in Zolum in octauis Assumpcionis Beate Virginis, anno Domini M°. CC°. LXX°. quarto.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch, zur Geschichte Siebenbürgens I. köt. Bécs 1857. 104. l.)

16.

IV. László király levele arról, hogy Sándor bán, szebeni és dobokai főispán, Pertaltelke nevezetü földet, melyet Miklóstól Ecse fijától pénzért vett s régóta békében birt, ugyanannak, minthogy testvérei ez eladásért háborgatták, Vajk és Moloncsa nevü földjeiért cserében visszaadta. Kelt Zólyomban 1274.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Huugarie harum serie memorie commendantes declaramus vniuersis, quod Alexander Banus, Comes de Scijbinyo et de Doboka, dilectus et fidelis noster, ab una parte, Nicolaus filius Eche ab altera coram nobis personaliter comparendo, de propria et communi voluntate, et ex nostra permissione, inter se huiusmodi concambium dixerunt ordinasse; quod terram Pertaltelyky vocatam, quam memoratus Nicolaus de hereditaria sua terra, et fratrum suorum, prefato Alexandro Bano super cuiusdam sumpma pecunie vendiderat, quam eciam idem Alexander Banus a longo tempore pacifice cum omnibus suis vtilitatibus possederat, super qua ipsum Nicolaum fratres sui infestabant, vt omnis infestacio et sedicionis materia a fratribus vterinis radiciter sopiatur, idem Alexander Banus predictam terram reddidit et restituit pro perpetue pacis vnione eidem Nicolao cum omnibus suis instrumentis, quibus eandem per modum empcionis possidebat, in concambium terrarum Woyk et Moluncha vocatarum, quarum vnam titulo empcionis, alteram vero donacionis presidio predictus Nicolaus opti-

nebat, similiter cum omnibus suis munimentis contulit Alexandro Bano prefato in concambium terre memorate, ad maiorem vero cautelam Mykou et Eche filij Eche coram nobis personaliter constituti huic ordinacioni seu concambio consensum prebuerunt et assensum; ita quod a modo vllis vnquam temporibus super hujusmodi habito concambio mouere valerent materiam questionis. Datum in Zolum in octauis Sancti Regis, anno Domini millesimo CC-o LXX-o quarto.

(I. Lajos király 1365.diki átiratából, melynek eredetije a b. Wesselényi család levéltárában van. *Szabó Károly.)*

17.

IV. László király Péter mester számára, a Chák nemzetségből, megerősíti Scynche birtokra vonatkozó 1273-ki adományát 1274.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie. Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire : quod magister Petrus Comes Supruniensis et Sümeghiensis dilectus et fidelis noster ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis privilegium nostrum primo anno Regni nostri super possessione Scynce vocata confectum, non rasum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum; petens cum instancia, ut collacionem de ipsa possessione Scynce tunc sibi factam ratificare, et de novo ipsum priuilegium dignaremur confirmare. Cuius tenor talis est.

Ladislaus D. gr. Hungarie stb. Rex stb. (következik IV, László király 1273-ki privilegiuma, mint fenebb 9. sz. a. 23. l.)

Nos itaque eiusdem Magistri Petri justis peticionibus annuentes, gestantesque coram nostre Maiestatis oculis in-

concussam fidelitatem suam et gratum obsequium, quod nobis specialiter eotum exhibuit, quando nos et domina Regina, mater nostra charissima, per Henricum Banum et alios sibi adherentes, Corone Regie utique infideles, detenti fuimus apud Budam, ac demum in conflictu habito circa villam Fuen contra eosdem infideles, in quo quidem prelio ipse magister Petrus in facie sua maximam plagam sustinuit, ubi idem Henricus Banus per sepe dictum magistrum Petrum in prelio victus vitam finivit ignominiose in infidelitate manifesta, collacionem eandem ex certa sciencia et Baronum nostrorum consensu ratificando presentibus confirmamus firmitate perpetuo duraturam, ita quod presens ipsius priuilegium innouacio collacionis prioris, irretractabile sit omnino, posteris nostris sub interminacione paterne malediccionis inhibentes, ne contra collacionem huiusmodi aliquid presumant attentare, priuilegiumque sub nostra bulla cerea super ipsa possessione Scynche Johanni filio ejusdem Herrici, tunc Comiti Supruniensi traditum eo tempore, quo dictus magister Petrus per suos emulos in persecucione positus fuit, et de domo Regia effugatus, auctoritate presencium tamquam vanum, cassum et irritum revocamus; ita ut ubicunque tam in judicio, quam extra fuerit presentatum, viribus careat, et nullius firmitatis reputetur, sicut revocatum et robore destitutum. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, eiusdemque loci Comitis perpetui, aule nostre Vice-Cancellarii, et Prepositi Budensis, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, secundo kalendas Januarij, Regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi, et Johanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Vaciensi, aule domine Regine consortis nostre charissime Cancellario, Timotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dionysio Jauriensi, et Petro Transylvano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Rolando Palatino, et Judice Cumanorum, Erney Bano Judice Curie nostre, Matheo Vojuoda Transylvanie et Comite de Zonough, Egydio Magistro Tawarnicorum, Ni-

colao Magistro Dapiferorum, Chepano Magistro Pincernarum Petro Magistro Agazonum nostrorum, Philippo Comite Castriferrei, Ochuz Comite Zaladiensi, Tyba Comite Tolnensi, Salamone Comite Albensi, et aliis quampluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

(Gr. Széchenyi Ferencz kézirati gyüjteményéből a Nemzeti Muzeumban, I. k. 64. sz. a. V. ö. Fejér Cod. Dipl. V. k. 2. r. 174. l.)

18.

IV. László az okoli nemeseknek, a Henrik bán pozsonyi gróf által jogtalanul lefoglalt Sintperg és Csürle birtokokat hadi erényeik miatt visszaadja. 1274.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Johannes, Petrus et Paulus filij Benedicti; item Stephanus et Nicolaus filij Racha (Rechee), nobiles de Okoly de Comitatu Posoniensi ad nostram accedentes presenciam nobis retulerunt conquerendo, quod Herricus (Henrikus mindannyiszor) Banus existens Comes Posoniensis, tempore domini Bele, Incliti Regis Hungarie, karissimi aui nostri beate memorie, quasdam possessiones ipsorum hereditarias Deda, Stephani, Petri et Pauli filiorum Petri, ac Egidij filij Walk cognati eorum, Simperg et Churle vocatas in Comitatu Posoniensi existentes, cum tributo vini et omnibus vtilitatibus ac pertinencijs suis, racione cuiusdam Mathie cognati ipsorum, qui in duello succubuerat, potencialiter et contra iusticiam occupasset et detinuisset indebite occupatam; quas karissimus pater noster (Stephanus), Illustris Rex Hungarie felicis recordacionis, eo tempore, quo idem

Herricus Banus infidelitatem committens se extra Regnum transtulerat, restituisset eisdem; demum nobis Regni gubernacula adeptis, eodem Herrico Bano ad nostram graciam recepto, ipsas possessiones dictus Herricus Banus detinuisset violenter vsque modo; petentes a nobis vt humiliter, sic deuote, vt nos dictas possessiones eis restitui facere Regia liberalitate dignaremur. Nos itaque ipsorum iustis precibus inclinati; quia comperimus et didicimus a multis nobilibus Regni nostri, ipsas possessiones eorum esse hereditarias, et per Herricum Banum indebite occupatas; attendentes eciam fidelitates et meritoria obsequia Johannis, et Petri fratris eiusdem, que in diuersis Regni nostri expedicionibus tempore karissimi patris nostri et nostro laudabiliter impenderunt; primo et principaliter iuxta fluuium Rabucha (Rabcha), quando Rex Boemorum fines Regni nostri uastaturus intrauerat, idem Johannes fortune casibus se committens, contra aduersam aciem se opponere non expauit, vbi uulnus accepit laudabiliter dimicando; item sub castro Zumboth, vbi dictus Johannes et fratres sui nouem homines occiderunt; item iuxta Morauiam, vbi dictus Petrus uulnus incurrit non optatum; et sub castro Loa, vbi prefatus Petrus quendam militem lancea deiecit; ac sub castro Detreh (Detreih) viriliter preliando victoriam laudabilem reportarunt; dictas possessiones Simperg et Churle auferendo a prefato Herrico Bano, qui ablato fratre nostro Duce Andrea et infidelitatem committendo se transtulit ultra Drawam, eisdem Johanni, Petro, Paulo, Stephano et Nicolao, ac eorum heredibus, heredumque successoribus dedimus, contulimus, tradidimus, restituimus et resignari fecimus, cum omnibus vtilitatibus, pertinencijs, circumstancijs, appendicijs; tributo videlicet vini, siluis, virgulto, (tributo), ac alijs quoquo nomine censeantur iure perpetuo pacifice et irreuocabiliter possidendas. Ut igitur huius nostre collacionis, seu restitucionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit vllo unquam tempore per quempiam in irritum retractari, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, eiusdemque loci Comitis perpetui, Prepositi Budensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Do-

mini M° CC° LXX° quarto, Regni autem nostri anno terciò. Venerabilibus Patribus Johanne Spalatensi, et Stephano Colochensi (Colocensi) Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chenadensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wespremiensi, aule nostre Cancellario, Philippo Waciensi, aule domine Regine karissime consortis nostre Cancellario, Lodomerio Waradiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transiluano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Dionisio Palatino, Comite de Oklich et Judice Cumanorum; Herrico Bano tocius Sclauonie; Matheo Wayauada Transsiluano Comite de Zounuk; Egidio Magistro Tauarnicorum nostrorum, Erne (Erney) Bano Judice Curie nostre; Moys Magistro Tauarnicorum domine Regine, karissime consortis nostre, Comite Simigiensi; Herbordo Magistro Dapiferorum nostrorum Comite de Barana; Vgrino Bano de Zeurino; Petro Magistro Agasonum nostrorum Comite Zulga-Jauriensi; Nicolao Magistro Pincernarum nostrorum, Comite Musuniensi; et alijs quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

Jegyzet. Hártyán szépen írva. A veres selymen függö kettős pecsétnek csak fele van meg. Rajza látható Prágynál, de Sigil. Tab. VI. Fig. 4. azon eltéréssel, hogy ott a trónon ülő király kiterjesztett balkezében tartja az arany almát, míg ez előttem fekvő pecséten keblére tartja. A zárjel közti eltérések egy más számban levő átíratból vétettek. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa VII. Fasc. 1. Nr. 1

Knauz Nándor.

19.

IV. László magyar király I. Rudolf római-német királyhoz, az öccse Endre és ennek leánya közt tervezett házasság ügyében. 1274.

Divinae pietatis providentia, cujus nutu reguntur omnia et subsistunt, praesentialiter ubique contuens universa, ne lubrica microcosmi materia per devia laberetur, aut naturalis affectionis invicem igniculus sine dilectionis fasciculo solveretur, in paradiso legem instituit matrimonii, per quam propagaretur in terris caritas animorum et naturae proclivum virtus exciperet honestatis. Hinc unitatis et identitatis affectio coalescit, quae descendentes ramusculos ad se retrahit ex diversis non adversis unum efficiens conjugii paritate. Cum itaque in sublimitate vestri nominis tamquam in ortu novi sideris gratulemur ex intimis, cupientes, ut affectum nostrae mentis proximitatis annexio sequeretur: super matrimonio contrahendo inter filiam vestram principaliter, si exstat, aut filii vestri vel filiae seu sororis filiam, et fratrem nostrum carissimum Andream, Inclytum Ducem Slavoniae et Croatiae, infra octeanum constitutum, de omnium Procerum et Baronum vestrorum (így) consilio, magnifico (Meinhardo) Comiti Tyrolensi et Goritiae, cognato nostro caro, vices nostras duximus committendas, ad Serenitatem Vestram nihilominus nobilem virum, magistrum A. familiarem et fidelem nostrum nuntium specialem super his et aliis qualibet auctoritate suffultum quantocius transmissuri. Excellentiam Vestram praesentibus affectuosius requirentes, quatenus super hujusmodi matrimonio contrahendo ipsi Meinhardo Comiti vel ejus misso velitis promptae exauditionis gratiam impertiri!, ut vestrae felicitatis invicem brachiis solidati glorientur humiles, terreantur tumidi, ac convertantur et ad juga veniant exercere potestates. Datum etc.

(Palacky F., Über Formelbücher, Praga 1842. 319. l. V. ö. Fejér Cod. Dipl. V. k. 2. r. 43. l., hol ezen levél hibás kivonata 1276-ra alkalmaztatva találtatik.

20.

IV. László király ugyanazon ügyben küld követet Rudolf római királyhoz. 1274.

Noscat universitas vestra, quod nos t. providum et discretum virum ... Lectorem seu scholasticum Quinqueecclesiensis Ecclesiae Kathedralis, de omnium Archiepiscoporum. Episcoporum, Procerum et Baronum Regni Ungariae consilio et tractatu, intercedente etiam consensu Andreae Ducis Slavoniae et Chroatiae, fratris nostri carissimi, ex affidata nostrae fraternae caritati tuteia, damus, facimus, constituimus et ordinamus nostrum procuratorem, syndicum vel actorem penes dominum Rudolfum Romanorum Regem semper Augustum et inclytam aulam ejus, super iniendis arrhis, sponsaliis seu matrimonio contrahendo nomine ejusdem Ducis Andreae, fratris nostri carissimi, inter ipsum Ducem Andream ac filiam domini R. Serenissimi Regis Romanorum, seu filii sui vel filiae aut sororis filiam, quamvis inter absentes, spiritus tamen unione praesentes, proponendum, tractandum, matrimonium contrahendum per verba de praesenti aut quolibet amminiculo juris stb.

(Palacky u. o. 319. l.)

21.

I. Rudolf római-német király Erzsébet magyar királyné-özvegyhez. 1274.

Congratulationis amicae placiditas, literis vestris, quas nuper valde gratanter accepimus, super fortunatis et prosperis nostrae sublimationis auspiciis cum tripudiosa jocunditate regalibus repraesentata conspectibus, animum nostrum tanto uberioris gaudii poculo fecundavit, quanto probabilioris ex hoc evidentiae argumento colligimus, quod illius indissolubilis dilectionis identitas, quam cum clarae recordationis (Stephano Rege Ung.) viro vestro quasi cor unum et eadem amicitia noscitur exstitisse dum annueret (így), cum eodem decedente nequaquam extincta deperiit, sed in vobis propagatione laudabili radicata praedicabiliter et transfusa tenacius conquievit. Super quo utique, et super hoc praecipue, quod filiam nostram inclyto A. filio vestro cupitis matrimonialis vinculi foedere couniri, quod auxit in pectore nostro diffusius materiam gaudiorum, Dilectioni Vestrae ad grates uberrimas inclinantes, proinde vos et vestros invariabili animo semper disponimus gratis amplecti favoribus et condignis honoribus ampliare. Unde licet valde cordi nobis sit, licetque laetis praecordiis affectemus, quod domus nostra cum vestra matrimonialibus uniatur amplexibus nativis floride virgulis fecundanda, quibus progenitores exultant in filios filiorum : quia tamen negotii hujusmodi arduitas principum et fidelium nostrorum consilio indiget fulciri, cum eis super hoc finalem et salutarem disponimus festinanter habere tractatum, ut ad honorem et commodum partis utriusque votiva cunclusio in praedicto negotio subsequatur.

(Palacky u. o. 319. l.)

22.

Péter, Detre fiának Miklósnak fia, Pehchen és Podlusan földeit az esztergami káptalan előtt rokonának Péternek, Mikó fiának bevallja. 1274.

A B C

Capitulum Ecclesie Strigoniensis omnibus Christi fide libus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Petrus, filius Nicolai filij Detrici, coram nobis personaliter constitutus, duas terras suas Pehchen et Podlusan uocatas, quas contiguas et sub vna metarum clausura esse dixit, confessus est se uendidisse Comiti Petro filio Mycou cognato suo pro sexaginta et quinque marcis finiti argenti perpetuo possidendas; et ipsas sexaginta et quinque marcas finiti argenti affirmans ab eodem Petro Comite se plenarie recepisse, assumpsit et obligauit se coram nobis, quod quicumque decetero, videlicet siue fratres sui, siue alij de cognacione uel affinitate sua, siue eciam de extraneis, dictum Petrum Comitem filium Mycou, super predictis terris impetere attemptarent, ipse eundem Petrum Comitem teneretur ab omnibus expedire. Et sicut idem Petrus filius Nicolai dixit, terra Pehchen incipit a magna via, que venit de Wodkerth, et vadit in Hugog, et ipsa via separat eam a terra Scyud; postea cadit in siluam in uno *berch* uersus meridiem, ubi est commetaneus Abbas de Triske, et cum binis metis uenit ad fluuium Ipul, ubi est commetaneus Zatha nobilis de Curth; inde in fluuio Ipul descendit ad quandam arborem piri, ubi est commetaneus Comes Dominibus (igy); et inde tendit uersus septemtrionem, et prope quandam arborem que *zyl* dicitur, cadit in magnam viam, ubi coniunguntur due vie, quarum vna uenit de Gormath, alia uero de Podlusan; inde tendit uersus occidentem ad vnum *berch* per quandam lacum, ubi est vna ylex; et inde

uadit ad quandam vallem, ubi sunt due arbores ylicis; inde in latere montis uenit ad quatuor arbores, ubi est commetaneus Nicolaus filius Lamperti, et post hec cadit in terram eiusdem Petri Comitis filij Mycou. Et in prenotato circuitu, predicte terre Pehchen et Podlusan, distinguntur ubique cum binis metis, sicut hec omnia dixit nobis sepedictus Petrus filius Nicolai. In cuius rei testimonium et memoriam ad peticionem eiusdem Petri filij Nicolai presentes nostras concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Sixti Lectoris Strigoniensis. Anno Domini M°. CC°. LXX°. quarto, in octaua Omnium Sanctorum.

Jegyzet. Bőrhártyán kelt metszet levél, pecséte az alul fölhajtott hártya hasadékaiból zöld selyemről függ és ugyanaz, melly réznyomatban a Magyar Történelmi Tárban II. 23. látható. A kékköi levéltárban: AL. 14. *Érdy.*

23.

A váczi káptalan bizonyságlevele, hogy a Péter nemzetség nemesei és a nyulszigeti apáczák, Oszlár nevü peres födbirtokra nézve barátságos egyességre léptek. 1274.

Capitulum Ecclesie Vaciensis omnibus Christi fidelibus quibus presentes ostenduntur salutem in omnium saluatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam magistri Christoforus, Stephanus filius Oltman, pro se et pro Alexandro fratre suo, Petrus, fratres eiusdem magistri Christofori, nobiles de genere Petri, pro se et pro omnibus generacionibus suis ex una parte; ab altera vero Comes Stephanus, officialis dominarum sororum videlicet de Insula Monasterii Beate Virginis, nomine et vice ipsarum dominarum, una cum Stephano filio Nicolay de Gemereu homine domini Regis, et cum

homine nostro ad negocium dictarum parcium deputatis, proposuerunt concorditer coram nobis, quod super terra Oslar uocata in Parochia Pestiensi sita, super qua terra contencio, siue lis coram domino Rege fuisset inter nominatam generacionem et dictas dominas sorores susscitata, mediantibus uiris nobilibus concordassent partes antedicte, et ut firma et perpetua pax semper vigeat et perseveret inter partes, talis diuisio et distinccio prefate terre facta exstitit inter ipsas, presentibus homine domini Regis et homine nostro memoratis, prout nobis ijdem retulerunt. Quod a plaga occidentali pars terre predicte cessit eisdem nobilibus, et toti generacioni eorundem, a parte vero orientali alia pars cessit dominabus prenotatis; que partes terre a meridionali plaga incipiendo et uersus plagam septemtrionalem tendendo, talibus metis et terminis distinguuntur. Primo ab ipsa parte meridionali incipiendo sunt tres capitales mete et una nova in monte magno, in quo monte est fouea; inde descendit de monte per uiam, et ibi sunt due nove mete; de inde vadit ad finem uille Oslar, et ibi sunt due noue mete; hinc descendendo ad pratum, ubi consueuerunt esse paludes, sunt due nove mete; inde transit pratum, et parum per viam transeundo, et asscendendo ad extus ad montem uersus orientem sunt due noue mete; inde descendendo de monte circa uiam sunt due noue mete, et per uiam eundo transit metatim per binas metas ad ortum, in quo sunt fructus; deinde vadit ad terram Apati uocatam, et ibi sunt tres mete, una meta est dictarum dominarum, alia est predictorum nobilium, tercia vero meta est uille Apati antedicte; et ibi terminatur. Preterea dixerunt partes, quod si jobagiones dominarum voluerint sessionem suam unquam transmutare, aut a loco in quo nunc resident, in alium locum voluerint se transferre, prope dictam distinccionem, in qua metarum cursus procedit prefate terre, quantum ad iactum unius magni securis, sedere, seu collocari propyus non deberent. Et ut hec conuencio siue ordinacio et divisio facta perpetue stabilitatis obtineat firmanentum, et ne per aliquem de cetero processu temporis ualeat uel debeat retractari, presentes in testimonium et euidenciam ad frequentem parcium instanciam, sigilli nostri munimine contulimus roboratas. Anno Domini M° CC° LXX° quarto Presentibus tum magistro Grego-

rio Preposito, magistro Paulo Lectore, magistro Andrea Cantore, secundo Paulo Custode, et alijs multis ibidem in Ecclesia Beate et gloriose semper Virginis Marie; militantibus, et Deo humiliter famulantibus et devote.

(Eredetie a nemzeti muzeum kézirati gyüjteményében.)

24.

A veszprémi káptalan bizonyságlevele, hogy több lövöldi erdei csőszök a borsothi jobbágyokkal bizonyos gyilkosság tekintetében egyezkedtek 1274.

Capitulum Ecclesie Vesprimiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire; quod Gregorio filio Oltus, Christiano fratre ejusdem; et Nicolao filio Venceslai custodibus sylvarum de villa Lueld ab una parte; Pous filio Pousa, Laurencio filio Thome, villico de Borsoth, jobagionibus Abbatis et Conventus de Beel pro se et ipsa villa Borsoth ab altera coram nobis personaliter constitutis, ijdem Gregorius, Christianus et Nicolaus confessi sunt viva voce, quod super homicidio fratris eorum Venceslai memorati, patris videlicet Nicolai ante dicti, per predictos Pous, Laurencium et dictam villam Borsoth solutis septem marcis juxta composicionem et ordinacionem inter eos factam, et ab eis pro bono pacis receptis partim in denarijs partim vero in estimacione condigna, ipsis fuisset per omnia satisfactum, relinquentes ipsos racione predicti homicidij expeditos et per omnia alsolutos ita, ut de cetero nec ijdem Gregorius, Christianus et Nicolaus, nec posteritates ipsorum vel cognati racione sepedicti homicidii contra predictos Pous, Laurencium vel suos heredes, ac ipsam villam Borsoth nullam possint vel debeant movere materiam questionis. In cuius rei testimonium

et firmiorem memoriam presentes ad instanciam et peticionem parcium predictarum concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Hermani Lectoris Ecclesie nostre anno Domini M° CC° LXX° quarto. Venerabilibus in Christo patre domino Paulo Episcopo nostro, aule Regie Cancellario, Paulo Preposito, Paulo Cantore, Rugas Custode existentibus.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

25.

IV László király Inárcson Pest megyében lakó Inarcsi Pál, Tamás, Fene és Omb, székes-fehérvári várjobbágyokat a nemesek sorába emeli. 1275.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salutari. Ad uniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod considerantes fidelitates et meritoria obsequia Pauli, Thome, Omb et Feney filiorum Jacobi de uilla Inarch, jobagionum uidelicet castri Albensis, in Comitatu Pestiensi existencium, que et quas ijdem domino Stephano patri nostro, uictoriosissimo Regi Vngarie felicissime recordacionis, et postmodum nobis tam in Regni nostri expedicionibus, quam in alijs agendis nostris fideliter inpenderunt, adeo plene, ut meritoria seruicia sua, iuste et condigne remuneracionem Regiam postularent, eosdem, cum omnibus terris ipsorum, quas in jobagionatu dicti castri existentes, sine alieni iuris preiudicio pacifice possederunt, a jobagionatu dicti castri p(ure) et sincere eximentes, in cetum et numerum seruiencium nostrorum Regalium duximus transferendos; volentes et instituentes, ut

decetero non inter jobagiones castri, sed inter seruientes Regales computentur, exercituantes sub nostro vexillo more nobilium eorundem. Vt igitur huius nostre translacionis series robur optineat, perpetue firmitatis, nec per quempiam ualeat in irritum reuocari, presentes eisdem Paulo, Thome, Omb, et Feney concessimus litteras duplis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, venerabilis uiri, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, aule Regie Vice-Cancellarij, et Prepositi Budensis, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo quinto, Regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus, Stephano Colochensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis, Philippo Vachiensi, aule domine Regine karissime consortis nostre Cancellario, Thymotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi, Job Quinqueecclesiensi, Lodomerio Varadiensi, Andrea Agriensi, et Petro Transsiluano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Nicolao Palatino Judice Cumanorum, Johanne Bano tocius Sclauonie, Joachino Magistro Tauarnicorum nostrorum, Dionisio Magistro Tauarnicorum domine Regine, Comite Zaladiensi, Matheo Voiouoda Transiluano Comite de Zonuk, Nicolao Voiouoda Judice Curie nostre, Paulo Bano de Zeurino, Lorando Comite Castri Ferrei, Michaele Comite Nitriensi, et alijs quampluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

Jegyzet. Eredetie bőrhártyán, kiváltságlevél-alakban, mely van Nagy-Kőrösön az Inárcsi Farkas testvérek levéltárában. Veres és zöld selyemről függő kettős királyi pecsétje elveszett. Találtatik ott IV. László királynak egy másik ugyanazon tartalmú, de nyilt formában kiadott okmánya is, melly a fenebbivel szóról szóra megegyez. *Szabó Károly.*

26.

IV. László király helybenhagyja és megerősíti Sándor bánnak intézkedését, melynél fegva több jószágait nejére ruházza által. 1275.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus, ad quos presentes littere pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod Alexander Banus, Comes Scibiniensis et de Dubuka, dilectus et fidelis noster, ultronea voluntate in nostra presencia constitutus, de possessionibus suis quocunque nomine censeantur rite et legitime aquisitis, quasdam villas seu possessiones, videlicet Ilsuazyg cum tributo et aliis attinenciis suis, item villam Bagata, item villam Meger, item villam Kerepes, item villam Buda prope Zenholm, item villam Sancti Jacobi, petita a nobis licencia et obtenta, domine uxori sue contulit, tradidit atque dedit, tali condicione interjecta: quod ipsa domina predictas villas seu possessiones cum suis attinenciis et vtilitatibus habendi et possidendi usque vitam, et si inter vivos vel in ultima voluntate easdem filio suo vel filiabus suis aut cuilibet ex eisdem, vel eciam pro remedio anime sue legandi, relinquendi et eciam disponendi liberam habeat facultatem pro suo libito voluntatis. Cujus ordinacioni et disposicioni ad ejusdem supplicationem assensum Regium prebuimus et prebemus. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes nostras concessimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, Prepositi Budensis, et aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo quinto, Regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job

Quinque-Ecclesiensi, Paulo Vesprimiensi aule nostre Cancellario, Philippo Vaciensi aule domine Regine consortis nostre harissime Cancellario, Lodomerio Varadiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transylvano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Rolando Palatino Judice Comanorum, Matheo Vajvoda Transylvano, Egidio magistro Tavarnicorum nostrorum, Petro Comite Supruniensi et Simigiensi, Ugrino Bano de Severino, et aliis quam pluribus Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

(A leleszi Convent levéltárából. V. ö. ezen okmány kivonatát Fejérnél Cod. Dipl. V. k. 2. r. 298. l. *Hatvani Mihály.)*

27.

IV. László király megerősíti a pannonhalmi apátság alattvalói számára V. Istvánnak, az adószabadságról kiadott 1270-ki okmányát. 1275.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendamus, quod vir venerabilis Bonifacius Abbas Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis litteras patentes domini Stephani Illustris Regis Hungarie, karissimi patris nostri felicis recordacionis, petens a nobis cum instancia, vt nos ipsas litteras ratas habere et dignaremur nostris litteris confirmare. Quarum tenor talis est:

Nos Stephanus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik V. Istvánnak 1270-ki okmánya, mely találtatik Okmánytárunk III. kötetében 137. sz. a. 229. l.)

Nos itaque ipsius iustis precibus inclinati, litteras ipsius karissimi partris nostri ratas habentes et acceptas, ac tenorem earundem de verbo ad verbum presentibus inseri fa-

cientes presencium auctoritate confirmamus. Datum apud Monasterium Sancti Jacobi de Selcz in crastino Octauarum Natiuitatis Domini anno eiusdem M° CC° septuagesimo quinto.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

28.

IV. László király a szenvedett károk tekintetéből több veszprémi telket adományoz a veszprémi káptalannak. 1275.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christiane fidei cultoribus presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis salutem in salutis largitore. Quoniam seculi Principibus, quibus plurima largitus est Deus, quosque potentatibus prefecit plurimorum, optima rerum jure scripto censetur esse mensura, in Sacrosanctam Matrem Ecclesiam largicionis titulo inmensitas conquisita, in his potissimum, iu quibus non tam mere liberalitatis, quam pocius talis donacio dampnorum jam datorum incidit in rempensam. Hinc est, quod cum nuper nos exercitu valido innumerosa multitudine Regni nostri nobilium copioso per Wesprimiensis Ecclesie possessiones et predia transitum fecimus, eadem Venerabilis Wesprimiensis Ecclesia in suorum spoliacione, prediorum desolacione omnium et combustione damna perplurima est perpessa; quare nos de omnium Baronum nostrorum induccione, consilio benevolo, et assensu in repensam aliqualem, licet non plenam, octo mansiones castrensium in suburbio Wesprimiensi cum omnibus suis possessionibus, terris, et sylvis; quorum castrensium nomina sunt hec: Gede, Voska, Syk, Thomas, Bube, Buthus, Michael, et Iwanka; item tres mansiones bacciniferorum Ducalium in eodem Wesprimiensi suburbio constitutas, quorum

nomina sunt : Chene, et duo filii Beethleem, Thomas et Jacobus, et Nicolaus frater dicti Beethleem; item quatuor mansiones preconum Regalium, quorum nomina sunt hec: Paulus Buga, Bulchu, et Paulus, item filius Marcelli consanguineus eorundem; item duas mansiones — — nostrorum, qui vulgo *huro* appellantur, in villa Wrs inferiori, quorum unus vocatur Stuge, alius vocatur Zab — — cum omnibus eorum liberis et posteris, terris, possessionibus ac vineis dedimus, et donavimus irrefragabiliter jure plenario evo quolibet possidendas. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, Prepositi Budensis, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M° CC° septuagesimo quinto, Indictione tercia, Regni autem nostri anno tercio,

(Robert Károly királynak 1323-ki megerősitő privilegiumából, mely őriztetik a veszprémi káptalan levéltárában.)

29.

Erzsébet özvegykirályné Vrbua birtokot adományozza Benedek grófnak, Ivándsa gróf fiának. 1275.

Elyzabeth Dei gracia Regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, ad quorum noticiam presens scriptum peruenerit, salutem in salutis omnium largitore. Reginalis benignitatis officium nos ammonet et inducit, vt quorumlibet fidelitatibus et seruiciis commode nobis impensis gratanti animo occuramus condigna retribucione meritis eorum fauorabiliter respondentes. Quia dum eorum laboribus et honestis seruiciis fauorem prebemus et assensum, ceteros ad ampliora fidelitatis opera exemplo simili in-

uitamus et de promptis reddimus prompciores.Proinde vniuersitatis vestre noticie tenore presencium fieri uolumus manifestum, quod nos fidelitates et seruicia nobilis viri Comitis Benedicti filii Comitis Iwanche, que domino Bele et domino Stephano inclytis Regibus Hungarie, et tandem domino Ladizlao Regi, karissimo filio nostro, ac nobis, personam suam casibus fortune committere non formidans, in prosperis pariter et aduersis cum summa diligencia laudabiliter exhibuit, attendentes; uolentesque eidem, in recompensacionem seruiciorum suorum aliquali retribucionis stipendio, licet ampliori munificencia dignus esset, respondere; quandam terram inferiorem Vrbua nuncupatam in Comitatu de Posoga existentem et collacioni nostre pertinentem, quam quondam Mortunus filius Myke detinebat, cum suis vtilitatibus et pertinenciis vniuersis, de beneplacito ejusdem domini Ladizlai Regis, karissimi filii nostri, et Baronum suorum consensu, ex certa consciencia dedimus, donauimus et contulimus ipsi Comiti Benedicto et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Mete autem ipsius inferioris terre Vrboa hoc ordine distinguuntur : Prima siquidem meta incipit a meridie juxta fluuium Churnuch ab arbore *thul*, in qua est crux; abinde procedit ad partem septemtrionalem in silua Zaua per arbores cruce signatas, et in exitu ejusdem silue, vbi ad campum protenditur, est meta terrea sub arbore *thul;* deinde tendit adhuc ad septemtrionem ad metam terream; deinde declinat per campum ad orientem ad metam terream; abhinc tendit ad arborem nucum juxta fluuium Vrbua, habentem inter frodens (? frondes) lapidem quendam; deinde appropinquat cuidam vie, juxta quam est meta terrea; abinde protenditur versus orientem ad quoddam *berch*, vbi est meta terrea, deinde reflectitur ad orientem vbi transito quodam (így) *potok* sub arbore *nar* est meta terrea; deinde ad arborem piri cruce signatam; deinde cadit in *potok* Bokolcznyk nominatum, et vsque ad eundem *potok* semper cometatur superiori terre Vrbua; ibi vero incipit cometari terre Comitis Cheh; deinde procedit per meatum illius *potok* ad meridiem vsque ad magnam viam, que de Vrbua venit, vbi est meta terrea; deinde per eandem viam tendit ad orientem et cadit ad aquam Zlopchenyk,

et in eadem aqua tendit uersus meridiem, vbi est meta terrea; deinde progreditur uersus meridiem in eadem aqua, et inde exit uersus orientem, et abhinc uergit iterato uersus meridiem sub dastenlaz (?), ubi est arbor *syl* pro meta; dehinc progreditur adhuc versus meridiem ad Dobouchpotoka, et transit ipsam aquam Dobochpotoka ad orientem, et vadit ad arborem *tul* cruce signatam, que est pro meta, et ibi cadit ad magnam viam crucis, que vadit uersus meridiem vsque ad *Trestene pola*, et transeundo illum campum uenit ad aquam Luky, vbi est arbor *tul* cruce signata, et in eadem aqua Luky tendit versus meridiem ad locum, qui vna *Heleusta polya* uocatur; et inde exit uersus orientem et tendit ad meridiem ad aquam Churnuch, et ex alia parte aque in eodem loco cadit aqua Zanugna in aquam Churnuch, et ibi separatur a terra Cheh; deinde progreditur et uadit ad occidentem, peruenit ad priorem metam, ibi terminatur. Vt igitur hec nostra collacio inconcussa permaneat, nec processu temporum possit per quempiam retractari, presentes eidem Comiti Benedicto concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Gregorii aule nostre Cancellarii fidelis nostri, (anno Domini M°) CC° septuagesimo quinto.

(A pozsegai káptalan egykorú átiratából, Horvát István kéziratai köst a nemzeti muzeumban.)

30.

X. Gergely pápa Gellért mesterhez, hogy a szent föld segítségére Magyarországban az egyházi jövedelmek tizedrészét szedje. 1275.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Magistro Gerardo Subdiacono et Scriptori nostro (collectori decimarum in Ungaria) salutem et Apostolicam benedictionem. Quanto extimamus negotium terre sancte sollempnius, quantoque magis insidet cordi nostro, tanto amplius ad executionem ipsius et eorum, que spectant ad ipsum, personas ydoneiores exquirimus, illud specialiter in earum ydoneitate querentes, ut fidelitate ac prudentia vigeant et zelo ferveant ad idem negotium prosequendum. Hoc de persona tua laudabile nobis testimonium a fide dignis exhibitum pollicetur. Cum itaque approbante Sacro Generali Concilio nuper congregato Lugduni, decimam omnium ecclesiasticorum redditnum et proventuum ad terre predicte subsidium per sex annos a festo Nativitatis Beati Johannis Baptiste transacto novissime numerandos duxerimus concedendam: discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatenus predicte decime colligende in omnibus partibus Regni Ungarie subscripto modo sollicite curam geras. Videlicet ut in singulis Civitatibus et Diocesibus Regni eiusdem de consilio locorum Ordinarii, aut eius vicesgerentis, si Diocesanus ipse absens fuerit, et duorum fidedignorum de Ecclesia Cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum quoad non exemptos, quod exemptos vero de consilio aliquorum presbiterorum de contrata deputes duas personas fide, facultatibus, si tales commode inveniantur, ac alias ydoneas ad collectionis huiusmodi ministerium exequendum. Collectores vero, quos, ut premittitur, deputabis, in forma iurare facias infrascripta. Et tu nichilominus Regnum et partes easdem circueas, diligentius scrutaturus, qualiter in commisse sibi dicte collectionis officio iidem se habeant collectores, qualiter ipsis de decima satisfiat, collectamque

per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum Ordinarii et aliorum consilio facias per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi. Tibi quoque cum consilio eorumdem Ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos, quotiens videris expedire, ac eos compellendi ad reddendum coram eisdem Ordinariis et aliis computum de collectis, et contradictores quoslibet auctoritate Apostolica per censuram ecclesiasticam compescendi, plenam eadem auctoritate concedimus potestatem. Et ut tam tu, quam dicti collectores fructum de vestris laboribus reportetis, premissa tibi et eis in remissionem peccatorum iniungimus, et nichilominus a prestatione decime pro annis illis, quibus circa ea laborabitis, volumus vos esse immunes. Te preterea illius indulgentie concedimus esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in prefate terre subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus, in quibus circa premissa vacabis, tres soldos sterlingorum percipias pro expensis. Non obstantibus, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi ac tota eius continentia de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuscumque, dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter, vel specialiter sub quacunqua forma vel conceptione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda. Volumus autem, ut frequenter nobis scribere studeas, quid actum fuerit in qualibet provintia tam circa collectores, quam circa collectionem, quantitatem collectam, ipsius depositionem, locum depositionis ac modum. Et insuper de premissis fideliter ac sollicite prosequendis prestes, tactis sacrosanctis evangeliis, iuramentum. Considerans itaque, quod in premissis negotium Dei prosequeris, et in conspectu Regis eius, qui cuncta discernit, sibique, nec non et nobis, qui circa hec omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte,

quod in utriusque judicio non solum vites pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Forma autem iuramenti, quod prestare volumus collectores eosdem, hec est: Juro ego . . . a vobis Magistro G. auctoritate Apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium redditunm, et proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis nen exemptis in . . . Civitate et Diocesi constitutus, a Sede Apostolica pro subsidio terre sancte concessam, quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam ipsam decimam, non deferendo in hiis alicui persone, cuiuscunque ordinis, status, conditionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore, vel alia quacumque de causa, et eam integre restituam et assignabo, prout a vobis recepero in mandatis. Et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem rationem reddam vobis, et si contingat vos officium, quod in premissis geritis, dimittere, hec eadem faciam iuxta mandatum illius, qui substituetur, in eodem officio. Sic me Deus adiuvet et hec Sancta Evangelia. Datum Lugduni XII. Kal. Octobris. (Pontificatus nostri) anno tercio.

(X. Gergely pápa Regestáiból Theiner Vetera Monumenta Hungariam Sacram illustrantia, I. köt. Róma, 1859. 319. l.)

31.

X. Gergely pápa Magyarország érsekeihez és püspökeihez, hogy a szent föld segítségére a keresztet hirdettessék. 1275.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi et universis Episcopis sue provintie salutem et Apostolicam benedictionem. Si mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis immensis beneficiis nostri redemptoris intenderent; si ea celesti lumine illustrate diligenti scrutarent examine; si frequenter meditationis attente conspectui presentarent; profecto eorum corda concalescerent intra ipsos, igne in meditantium animis ardescente. Cuius etenim pectus saxeum non emolliret considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo? Cuius viscera non inflammaret caritatis ardore pia consideratio illius humiliationis extreme, in qua ipse idem factus obediens usque ad mortem, ad exprobrantium obprobria coram tondente se velut agnus abmutuit, et sicut ovis ad occisionem ductus, post contumelias et terrores, post spinas et sputa, post flagella varia, post diversa denique genera tormentorum, innocens sine causa dampnatus, et demum saturatus obprobriis, clavis affixus, aceto et felle potatus, confossus lancea, in crucis patibulo tam dire mortis subiit passionem, misterium redemptionis nostre perficiens, sine qua parum nobis nativitas profuisset? Quis igitur hec et alia largitatis Divine carismata, infra pectoris claustra, debita et frequenti meditatione revolvens, non intus fervide zelo devotionis accensus ferveat, foris ebulliat, exclamet et dicat „Quid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi?“ et non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio subiungat ultroneus „Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo?“ Quem non pudeat ingratitudinis argui, quin potius

de infidelitate notari, si creatori pio, benefico Domino, piissimo redemptori tante necessitatis tempore non assistat, dum hereditatis sue funiculus, terra sancta, quam sibi testatur scripture sacre testimonium omnium cariorem, in Christianitatis confusionem et dedecus per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenetur, et ad occupationem residui per eosdem instantia infeste persecutionis insistitur, super eo assidue in partibus illis populus Christianus impetitur, et molestis impetitionibus infestatur? Et quidem si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis absque deserte fidei scrupulo sui domini temporalis vel vicum aliquem occupari; et hereditatis Dominice invasores fideles ulterius patientur? Numquid marcebunt otio, aut ocius non exurgent ad vitandum tante note discrimen? Exurgant itaque qui sunt Christi, et se ipsius esse non solum nomine, sed opere fateantur; exurgant utique in illius auxilium; exurgant ad salutis sue compendium, et illam brevis laboris pretio compendiose mercentur. Nunc precipue, dum in sacro Concilio ad hoc hiis diebus inter cetera, immo pre ceteris specialiter congregato, eiusdem terre nuper ordinata subventio sub spe illius, de cuius solius clementi providentia et clementia provida ordinatio talis et tanta processit, laboris optatum exitum repromittit. Convenientibus siquidem in eodem Concilio nonnullis Principibus et Prelatis de mundi partibus universis, aliorumque Principum, Prelatorum et Capitulorum nuntiis, post subsidium pecuniarium communi consensu terre deputatum eidem, convenit omnium sententia in id ipsum, videlicet ut in generali passagio, cuius celeriter auctore Deo terminum prefigemus, universis Christicolis contra blasphemos eosdem constantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus unita potentior, et tanto ad liberationem terre predicte sit via securior, sit oportunitas promptior, et de illa Deo auspice spes certior habeatur. Ceterum licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in terre memorate succursum sufficere debeat sollers attentio premissorum, licet possit non indigne sperari, quod si fideles iidem, quo debent pietatis oculo terram eandem respiciant; si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestiis et diutinis vexationibus lassata perpetitur, convertant pie compassionis

intuitum, discriminaque considerent, que per hoc eidem fidei orthodoxe non est dubium imminere, ad assumendum terre sepefate negotium se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonitionis alicuius suffragio expectabunt : quia tamen speramus, quod vocem virtutis tribuit Dominus voci sue, verbum crucis ad promotionem ipsius negotii in vestris Civitatibus et Diocesibus decrevimus proponendum, ad quod eo confidentius personas vestras duximus eligendas, quo magis ad id fame vestre claritas et pastoralis officii debitum nos invitat. Ideoque fraternitati vestre predicationis officium in eisdem Civitatibus et Diocesibus presentium auctoritate committimus in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio iuxta datam vobis a Deo prudentiam procedentes, illud efficaciter et prudenter, non obstante, quod hoc idem alii forsitan sit commissum, exequi studeatis; omnes quos hoc (igy) utiles fore putabitis, instantius inducendo, ut suscipientes cum reverentia signum crucis, ipsamque suis cordibus et humeris affigentes, ad terre memorate succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et ut iidem fideles premissa eo libentius, eoque ferventius prosequi studeant, quo potiorem se noverint fructum ex suis laboribus percepturos, nos de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis Deus ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi laborem salutifere crucis signo suscepto in personis propriis subierint, et expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, et in retributionem iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta qualitates et facultates suas viros ydoneos destinarint illic iuxta providentie vestre arbitrium moraturos; et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in personis tamen propriis assumpte peregrinationis huiusmodi laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis volumus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis congrue ministrabunt. Per-

sonas insuper, familias et bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut sub Diocesanorum suorum defensione consistant. Ut autem iidem crucesignati eo exequantur libentius et ferventius votum suum, quo pluribus fuerint favoribus communiti; presentium auctoritate concedimus, ut iidem illis privilegiis eaque immunitate gaudeant, que in generali crucesignatorum indulgentia continentur. Et quod per Sedis Apostolice litteras, vel legatorum ipsius extra suas Dioceses, nisi ille, que ab eadem Sede obtente fuerint, plenam de indulto huiusmodi mentionem fecerint, non valeant conveniri, dummodo parati existant coram suis ordinariis de se querelantibus respondere, quos per vos ab hiis ecclesiastica defendi censura, cessante appellationis obstaculo, volumus, qui eosdem contra indultum huiusmodi predictave privilegia et protectionis nostre tenorem presumpserint temere molestare: ita tamen, quod aliquis vestrum de hiis, que judicialem indaginem exigunt, et indultum privilegiave huiusmodi seu personas, familias et bona crucesignatorum ipsorum non contingunt, se in hac parte nullatenus intromittat. Si qui vero illuc proficiscentium ad prestandas usuras iuramento teneantur astricti, creditores eorum per vos vel alios, sublato appellationis obstaculo, districtione simili, ut iuramenta huiusmodi penitus relaxantes, ab usurarum alterius exactione desistant: si autem quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, ipsum ad restitutionem earum eadem districtione, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Judeos quoque ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli precipimus potestatem; et donec eas remiserint, ab omnibus Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam aliis, sub excommunicationis pena iubemus communionem illis omnimodam denegari. Porro ad huiusmodi ardui et salubris negotii efficaciam pleniorem, ut vos convocare possitis Cleros et populos, ad quemcumque volueritis locum ydoneum, et ibidem verbum crucis proponere, ac fidelibus vere penitentibus et confessis ad predicationem huiusmodi convenientibus, ipsamque audientibus reverenter, centum dies de iniunctis eis penitentiis relaxare, quodque vobis et vestris familiis in ecclesiis ecclesiastico interdicto suppositis, excommunicatis

et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, voce submissa et ianuis clausis Divina celebrare officia et facere celebrari, et populis proponere verbum crucis atque crucis caractere insignitos, ab excommunicatione, quam pro eo, quod sepulchrum Dominicum contra prohibitionem Legatorum Sedis Apostolice visitarunt, et illos etiam, qui eam pro eo, quod Sarracenis merces portaverunt et arma, seu alia prohibita, vel eisdem contra Christianos impenderunt auxilium, consilium vel favorem, dummodo quicquid ex huiusmodi dampnato acquisivere commercio, et aliud tantumdem de suis facultatibus in manibus vestris assignent, in terre predicte subsidium convertendum; necnon tam clericos quam laicos crucesignandos, qui pro violenta iniectione manuum in clericos seculares, virosque religiosos, vel pro incendio seu sacrilegio inciderunt in canonem sententie promulgate, absolvere iuxta formam Ecclesie vice nostra, illis exceptis, quorum fuerit excessus difficilis et enormis; et cum clericis crucesignatis, qui cum excommunicationis sententiam latam a canone vel ab homine incurrissent, se Divinis immiscuerunt officiis, et receperunt ordines sic legati, dummodo passis dampna, vel iniurias satisfaciant competenter, et negotium huiusmodi in propriis prosequantur personis, vel ad hoc in expensis suis ydoneos bellatores transmittant, vel de bonis propriis iuxta idem arbitrium aliquod impendant subsidium, dispensare possitis, auctoritate Apostolica vobis duximus concedendum. Preterea cum nonnulli clerici et laici non ratione ecclesiarum pacifice et sine controversia quasdam dicantur decimas possidere, quod vobis sit liberum de fructibus earumdem perceptis hactenus, eisdem clericis et laicis dimittere quintam partem, eisque concedere, quod residuum fructuum eorundem in predictum convertere subsidium per se ipsos, vel vobis si voluerint exhibere in idem negotium convertendum; ita quod ipsi ad restitutionem etiam de premissis omnibus minime teneantur, sed inde maneant penitus absoluti, dummodo decimas ipsas ecclesiis dimittant in posterum, ad quas spectant, auctoritate concedimus supradicta. Amplius cum olim sedes predicta centesimam proventuum ecclesiasticorum per omnia Christiana Regna subsidio deputaverit supradicto, nec sit conveniens, quod simul pro terra prefata duo subsidia

colligantur, nos centesimam huiusmodi remittentes in locis, in quibus non extitit per executores indicta, volumus et mandamus, ut singulis vestrum per se vel alios centesimam ipsam in locis sibi subditis, in quibus indicta fuit et non extitit persoluta, a tempore quo indicta fuit, usque ad tempus predicte decime, legata quoque in eisdem locis subsidio predicto relicta, omnes quoque obventiones undecumque et qualitercumque ipsi subsidio in locis provenientes eisdem, tam pro tempore preterito quam futuro colligatis integraliter, et fideliter conservetis, eaque omnia penes illos, qui decimam per nos eidem subsidio deputatam custodierint, ad opus predicti subsidii deponatis, facientes nichilominus, quod de trunco in supradicto Concilio ordinatum extitit observari, videlicet, ut in singulis ecclesiis truncus ponatur concavus tribus clavibus consignatus; prima penes Episcopum, secunda penes ecclesie sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conservandis, et in eo fideles quilibet, iuxta quod Dominus eorum mentibus inspiraverit, suas elimosinas deponere in remissionem suorum peccamiuum moneantur, et in ipsis ecclesiis semel in ebdomada pro remissione huiusmodi peccatorum, et presertim offerentium elimosinas certa die, quam tamen sacerdos pronuntiet, populo, missa publice decantetur. Concedimus insuper, ut si aliqui crucesignatorum infra tempus a nobis ad votum exequendum huiusmodi assignandum decesserint, illarum indulgentiarum et gratiarum sint plene participes, que obeuntibus in eiusdem terre servitio sunt concesse. Commutandi ad hec a personis earumdem Diocesium emissum ieiuniorum ac cuiuslibet peregrinationis votum in negotii predicti subsidium, ac etiam per censuram ecclesiasticam crucesignatos quoslibet, cuiusque dignitatis, vel conditionis fuerint, compellendi, ut in eodem termino illud executuri ad terram predictam accedant, vel ipsum redimant, si legitimo fuerint impedimento detenti, et vos pensatis personarum et aliis circumstanciis illud videritis redimendum. In hoc autem et aliis premissis articulis, in quibus aliqua vestre circumspectionis arbitrio relinquuntur, maxime sic vestras conscientias oneramus, ut in die stricti examinis teneamini Deo et nobis exactam reddere rationem; deputandi quoque personas ydoneas in eisdem Diocesibus

ad redemptiones huiusmodi fideliter colligendas, et sub testimonio fidelium consignatas deponendas in tuto, quousque per nos dispositum fuerit, qualiter in huiusmodi subsidium convertantur, vobis plenam tribuimus facultatem. Volumus preterea et concedimus, ut vos, qui in officio predicationis crucis pro presenti negotio per triennium duxeritis laborandum, illis immunitate ac privilegiis gaudeatis, illiusque indulgentie, etiamsi infra ipsum triennium cum intentione decedatis huiusmodi, sitis participes, que personaliter in terre predicte subsidium transfretantibus in Generali Concilio noscuntur esse concessa. Volumus insuper et presentium auctoritate districte precipimus, quod in premissis exequendis sitis solliciti et attenti, nec in illorum executione alter alterum impediat vel perturbet. Non obstante, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, a dicta sede forsitan sit indultum, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis, per que predicta impediri vel differri possint, et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Datum Lugduni VI. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

In e. m. Archiepiscopo Colocensi et universis Episcopis sue provincie.

(X. Gergely pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 316. l.)

32.

X. Gergely pápa a dömesek magyarországi perjeléhez, hogy a szent föld segitségére a keresztet hirdesse. 1275.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . . Priori Ordinis Predicatorum Ungarie salutem et Apostolicam benedictionem. Si mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis immensis beneficiis nostri redemptoris intenderent; si ea celesti lumine illustrate, diligenti scrutarent examine; si frequenter meditationis attente conspectui presentarent; profecto eorum corda concalescerent intra ipsos, igne in meditantium animis ardescente. Cuius etenim pectus saxeum non emolliret considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo? Cuius viscera inflammaret caritatis ardore pia consideratio illius humilia tionis extreme, in qua ipse idem factus obediens usque ad mortem, ad exprobrantium obprobria coram tondente se velut agnus abmutuit, et sicut ovis ad occisionem ductus, post contumelias et terrores, post spinas et sputa, post flagella varia, post diversa denique genera tormentorum, innocens sine causa damnatus et demum saturatus obprobriis, clavis affixus, aceto et felle potatus, confessus lancea crucis patibulo tam dire mortis subiit passionem, misterium redemptionis nostre perficiens, sine qua parum nobis nativitas profuisset? Quis igitur hec et alia largitatis Divine carismata infra pectoris claustra debita et frequenti meditatione revolvens, non intus fervide zelo devotionis accensus ferveat, foris ebulliat, exclamet et dicat: „Quid retribuam Domino pro omnibus, que retribuit mihi?“ et non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio subiungat ultroneus: „Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo?“ Quem non pudeat ingratitudinis argui, quin potius de infidelitate notari, si creatori pio, bene-

fico domino, piissimo redemptori tante necessitatis tempore non assistat, dum hereditatis sue funiculus, terra sancta, quam sibi testatur scripture sacre testimonium omnium cariorem, in Christianitatis confusionem et dedecus per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenetur, et ad occupationem residui per eosdem instantia infeste persecutionis insistitur, super eo assidue in partibus illis populus Christianus impetitur, et molestis impetitionibus infestatur? Et quidem si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis absque deserte fidei scrupulo sui domini temporalis vel vicum aliquem occupari; et hereditatis Dominice invasores fideles ulterius patientur? Numquid marcebunt otio, aut ocius non exurgent ad vitandum tante note discrimen? Exurgant itaque qui sunt Christi, et se ipsius esse non solum nomine, sed opere fateantur; exurgant utique in illius auxilium, exurgant ad salutis sue compendium, et illam brevis laboris pretio compendiose mercentur. Nunc precipue dum in sacro Concilio ad hoc hiis diebus inter cetera, immo pre ceteris specialiter congregato, eiusdem terre nuper ordinata subventio sub spe illius, de cuius solius clementi providentia et clementia provida ordinatio talis et tanta processit, laboris optatum exitum repromittit. Convenientibus siquidem in eodem Concilio nonnullis Principibus et Prelatis de mundi partibus universis, aliorumque Principum, Prelatorum et Capitulorum Nuntiis, post subsidium pecuniarium communi consensu terre deputatum eidem, convenit omnium sententia in id ipsum, videlicet ut in generali passagio, cuius celeriter auctore Deo terminum prefigemus, universis christicolis contra blasphemos eosdem constantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus unita potentior, et tanto ad liberationem terre predicte sit via securior, sit oportunitas promptior, et de illa Deo auspice spes certior habeatur. Ceterum licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in terre memorate succursum sufficere debeat sollers attentio premissorum, licet possit non indigne sperari, quod si fideles iidem, quo debent pietatis oculo, terram eandem respiciant, si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestiis et diutinis vexationibus lassata perpetitur, convertant pie compassionis intuitum, discriminaque considerent, que per

hoc eidem fidei orthodoxe non est dubium imminere, ad assumendum terre sepefate negotium se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonicionis alicuius suffragio expectabunt: quia tamen speramus, quod vocem virtutis tribuit dominus voci sue: ad promotionem ipsius negotii verbum crucis in commissa tibi provintia decrevimus proponendum, ad quod tuo ac fratrum tui ordinis ministerio tanto confidentius utimur, quanto vos ad id utiliores religionis vestre claritas et zelus, quo vos, ad ea, que Dei sunt, fervere presumimus, repromittit. Ideoque in commissa tibi provincia predicationis officium in favorem ac utilitatem eiusdem negotii presentium tibi auctoritate committimus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio, iuxta datam a Deo tibi prudentiam, cum omni, quo poteris efficatia et attentione procedens, illud per te ac alios fratres ipsius ordinis commisse tibi provintie, quos ad id de consilio discretorum fratrum eiusdem ordinis duxeris eligendos, quosque tibi per virtutem obedientie cogere liceat ad idem officium prosequendum, et mutare, quotiens opportunum ipsi negotio et tibi videbitur expedire. Non obstante, quod hoc idem alii sit commissum, studeas exequi diligenter, omnes quos utiles fore putaveris, instantius inducendo, ut suscipientes cum reverentia signum crucis, ipsamque suis cordibus et humeris affigentes, ad terre memorate succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et ut iidem fideles premissa eo libentius, eoque ferventius prosequi studeant, quo potiorem se noverint fructum ex suis laboribus percepturos nos de Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis Deus ligandi, atque solvendi contulit, potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi laborem salutifere crucis signo suscepto in personis propiis subierint, et expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus et in retributionem iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta qualitates et facultates suas viros ydoneos destinaverint illic, iuxta providentie tue vel ipsorum fratrum arbitrium moraturos; et illis similiter, qui

licet in alienis expensis, in personis tamen propriis assumpte peregrinationis huiusmodi laborem impleverint; plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis volumus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis congrue ministrabunt. Personas insuper, familias et bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus; statuentes, ut sub Diocesanorum suorum defensione consistant: Ut autem iidem, crucesignati eo exequantur libentius et ferventius votum suum, quo pluribus fuerint favoribus communiti, presentium auctoritate concedimus, ut iidem illis privilegiis, eaque immunitate gaudeant, que in generali crucesignatorum indulgentia continentur. Porro ad huiusmodi ardui et salubris negotii efficaciam pleniorem, ut tu et dicti fratres convocare possitis Cleros et populos ad quemcumque volueritis locum ydoneum, et ibidem verbum crucis proponere, ac fidelibus vere penitentibus et confessis, ad predicationem huiusmodi convenientibus, ipsamque audientibus reverenter, centum dies de iniunctis eis penitentiis relaxare, quodque vobis et vestris familiis et ecclesiis ecclesiastico interdicto suppositis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, voce submissa et ianuis clausis Divina celebrare officia, et facere celebrari, ac populis proponere verbum crucis, auctoritate Apostolica tibi et ipsis fratribus duximus concedendum. Volumus preterea et concedimus, quod tu et iidem fratres, qui in officio predicationis crucis pro presenti negotio per triennium duxeritis laborandum, vel si post inceptum laborem huiusmodi cum intentione ipsum predictum triennium prosequendi ante finitum idem triennium decedatis, illis immunitate ac privilegiis gaudeatis, illiusque indulgentie sitis participes, que personaliter in terre predicte subsidium transfretantibus in eodem generali Concilio noscuntur esse concessa. Ceterum cum huiusmodi predicationis officium venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis universis per nos in suis Diocesibus sit commissum, et Ministris Provincialibus et aliis fratribus Ordinis Minorum illud per similes presentibus litteras comittamus, te et dictos fratres eiusdem tui ordinis cum omni diligentia volumus observare,

ne cum Prelatis eisdem in predicando concurrere, vel ipsorum predicationem turbare seu impedire quomodolibet presumatis, cum dictis etiam Ministris et fratribus prefati Ordinis Minorum sic loca predicationis et tempora dividendo, ut vos mutuo non turbetis, nec impediatis aliquatenus per concursum, sed vobis invicem alternis vicibus in omni patientia et quiete cedatis. Et si forsan in aliquibus locis Conventus vos habere contingat, in quibus conventum predictus Minorum Ordo non habeat, eisdem Ministris et fratribus ipsius Ordinis Minorum ad eadem loco supervenientibus, in executione predicti officii, tu et fratres iidem, prefati tui ordinis deferatis. Non obstante aliqua indulgentia fratribus eiusdem tui ordinis a dicta sede sub quacumque verborum forma concessa, quod Apostolica mandata suscipere vel exequi per litteras Apostolicas, in quibus de indulto huiusmodi mentio non habetur, minime teneantur; et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis, per que predicta impediri vel differri possint, et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Datum Lugduni Idibus Novembris. Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Ministro fratrum Minorum Regni Ungarie.

(X. Gergely pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 320. l.)

31.

Miklós Gedeyi Albeusnak fia, figyermektelen halálának esetére vejeit gyermekeivé fogadja, mely intézkedését IV. László király helyben hagyja. 1275.

Nicolaus filius Albeus de Gedey fidelis domini Ladislai (IV.) Regis Hungarie ad ipsius domini Regis accedendo presenciam, et heredum se solacio carere ipsi domino Regi exponendo, a predicto domino Rege petiit humiliter et instanter, ut universas possessiones suas; quarum una Gedey, quam iure hereditario possidere se dixit, alia vero Abelfeuld et terra Betelfeuld nuncuparentur, quas a domina matre sua sibi relictas asseruit, si usque decisionem vite sue filium habere non posset, Erdeu et Johanni filijs Itimerij, generis suis, et Petro filio Leuke, genero suo, quos in filios recepisset adoptiuos, dandi et legandi liberam idem dominus Ladislaus Rex concederet de liberalitate Regia sibi facultatem. Ipse igitur dominus Ladislaus Rex peticionibus instantissimis eiusdem Nicolai fauorabiliter annuens, predictas possessiones supramentionatis generis suis legandi et relinquendi liberam dedit eidem Nicolao auctoritatem. (Datum anno Domini M CC LXXV.)

Jegyzet. IV. László királynak nyilt formában kiadott s a fenebbi engedelmet tartalmazó okmányát az egri káptalan ugyan 1275. ünnepélyesen írta által és a király 1279. privilegium alakjában erősítette meg. Bebek István Országbirónak 1360.ki ítéletéből. *Czech.*

34.

IV. László király Benedek és Reche fiainak visszaadja a tőlük Henrik bán által lefoglalt Churre és Simperg nevű jószágokat. 1276.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod nos consideratis seruicijs et fidelitatibus Johannis et Petri filiorum Benedicti, Nicolai et Stephani filiorum Reche, duas possessiones ipsorum hereditarias Churre et Symperg uocatas, quas Herricus Banus ab eisdem auferendo potencialiter occuparat, propter notam infidelitatis filiorum eiusdem, quam contra nostram Maiestatem commiserunt, auferendo ab eisdem, ipsi Johanni et Petro filijs Benedicti, ac Nicolai et Stephani prefatorum (így) cum omnibus utilitatibus suis iure perpetuo duximus conferendas, quemadmodum plenius in priuilegio nostro, prius eisdem concesso continetur. Datum in Stephand tercio die Epifanie Domini, anno eiusdem M° CC° LXX° sexto

Jegyzet. Kis hártyaszeleten 8 sorral. Hártyazsinegen függ a pecséttöredék. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XVI. Nro. 19. *Knauz Nándor.*

35.

IV. László király Pongrácz és Péter grófoknak, Kázmér gróf fiainak Lomptó nevű birtokukat, mely tőlök el volt véve, visszaadja. 1276.

(L)adislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Comes Pangracius et Petrus, filij Comitis Cazmerij, ad nostram accedens presenciam (igy),nobis humiliter supplicarunt, ut nos terram ipsorum Lomptou vocatam, in Comitatu Huntensi existentem, que tempore domini Regis Bele, aui nostri karissimi, felicissime recordacionis, a patre ipsorum, quodam modo, fuerat alienata, eisdem reddere et restituere de benignitate Regia dignaremur. Nos itaque, iustis peticionibus ipsorum Pangracij et Petri fauorabiliter inclinati, considerantesque multiplices fidelitates, et meritoria seruicia eorumdem, que ijdem domino Regi Bele auo nostro, et domino Regi Stephano patri nostro karissimis felicium recordacionum, a primeuis sue puericie temporibus, et postmodum nobis, in diuersis expedicionibus Regni nostri, se et sua fortune casibus exponere non formidantes, et specialiter in conseruacione castri ipsorum Chehte vocati, cum alia castra nostra, ultra Wag existencia, per homines Regis Boemorum, tunc capitalis inimici nostri, hostiliter fuissent occupata, fideliter exhibuerunt et deuote, prefatam terram Lomptow, cum omnibus utilitatibus suis et pertinencijs vniuersis, sub eisdem metis et terminis, quibus per patrem ipsorum antiquitus fuerat possessa, de consilio omnium Baronum nostrorum et beneplacito, eisdem Pangracio, Petro et fratribus eorum, ac per eos heredibus suis heredumque suorum successoribus, reddidimus et restituimus, ymo dedimus et contulimus, iure perpetuo, et irreuocabiliter possidendam

volentes, ut omnia instrumenta, uel littere, si que medio tempore super collacione eiusdem terre contra ipsos processissent, uiribus careant et inanes penitus habeantur, ubicumque in lucem prodite fuerint, uel hostense. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri, magistri Benedicti, Sancte Strigoniensis Ecclesie Electi, Budensis Prepositi, et aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, Regni autem nostri anno quarto.

Jegyzet. Eredetie bőrhártyán,szél. 12½ d. hüv.,mag. 5½ d. hüv., melyen a király függö pecsétje még meg van, Ondrejovits László úr levéltárában. Közli *Ifjabb Kubinyi Ferenc*.

36.

Az esztergami keresztesek konventjének bizonyságlevele, hogy Samson és Jakab trencsini várjobbágyok Dubnicze nevű birtokukat Olthoman grófnak és utódainak eladták. 1276.

Frater Petrus Magister et Conuentus Cruciferorum Ecclesie Sancti Regis Stephani de Strigonio universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus pervenire: Quod Samson et Jacobus filii Chepk nobiles jobagiones Castri de Trenchinio ad nostram personaliter accedentes presenciam dixerunt et confessi sunt, quandam possessionem ipsorum Dubnicze vocatam cum suis utilitatibus et pertinentiis hereditariam in Comitatu ejusdem de Trenchinio existentem, cui ecclesia fundata est in honorem Beati Jacobi Apostoli, vendidisse quinquaginta marcis mercimonialis argenti plene habitis et receptis Comiti Oltho-

man, et Chamar filio sororis ipsorum, filio ejusdem Olthoman, et per eosdem heredibus ipsorum heredumque suorum successoribus jure perpetuo et irrevocabili possidendam, tenendam et habendam. Insuper prefati Samson et Jacobus filii Chepk firmiter et solemniter assumpserunt eosdem, videlicet Comitem Olthoman et Chamar, filium ejusdem ac posteros ipsorum in perpetua possessione predicte possessionis Dubnicze vocate et utilitate ejusdem conservare ac ab omnibus impetitoribus et molestare volentibus expedire suis laboribus et expensis. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem ad peticionem et instanciam parcium predictarum presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in vigilia Beatorum Petri et Pauli Apostolorum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

(Horvát István kézirati gyüjteményéből, mely a nemz. muzeumban találtatik.)

37.

IV. László király Tavarnuk nevü földet nővérének Erszébetnek és a Boldogasszony margitszigeti apácza-kolostorának adományozza. 1277.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod nos ob devocionem, quam habemus erga Beatam Virginem, ad salutem anime nostre quandam terram Tavarnuk vocatam in medio possessionis domine Elisabeth sororis nostre de Insula Beate Virginis adjacentem, quam Torzol Cumano contuleramus, ab eodem penitus revocando, et suas literas irritando et revocando, eidem domine Elisabeth, et Ecclesie Beate Virginis dedimus, donavimus et contulimus perpetuo possidendam. Vnde volumus, quod nullus tam de Hungaris, quam de Cumanis eandem sororem nostram, vel officiales suos, racione

ipsius terre audeat vel presumat molestare, super qua eidem eciam nostrum privilegium conferemus, cum presentes nobis fuerint reportate. Datum Bude tercio die Beati Francisci confessoris anno Domini 1277.

(Cornides kézirataiból. *Czech)*

38.

IV. László király megerősíti a borsmonostrai apátság számára IV. Béla királynak Sydan birtokára vonatkozó adományát. 1277.

Nos Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad uniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie litterarum volumus peruenire, quod cum versus castrum filiorum Henrici Küzegh vocatum accessissemus, habito colloquio cum Rudolpho Rege Romanorum, et in villa Kedhel descensum cum exercitu nostro fecissemus, Abbas et fratres Ecclesie Beate Marie Virginis Gloriose de Monte ipsius ville Kedhel, ad nostram accedentes presenciam supplicando retulerunt, quod dominus Andreas Rex proauus noster, et dominus Bela Rex felicis recordacionis, auus noster charissimus, quandam terram Castri Soproniensis Sydan vocatam Ecclesie Virginis Gloriose contulissent: conquerentes, quod dimidietatem ipsius terre Sydan Comites Parochiales de Sopronio pro tempore constituti contra formam privilegii progenitorum nostrorum nobis exhibitorum potencialiter occupatam tenuissent, petentes cum instancia, ut collaciones progenitorum nostrorum ob amorem Diuini Nominis factas in totali terra Sydan ratificare et priuilegium eorundem progenitorum nostrorum nostro dignare

mur privilegio confirmare. Cuius quidem priuilegii domini Bele Regis avi nostri tenor talis est :

Bela Dei gracia stb. (következik IV. Béla király adománylevele, mely olvasható Okmánnytárunk I. kötetében 188. sz. a. 308. l.)

Nos igitur, quem dignitatis nostre vocabulum inducit animorum (?) equitas suadet benignitas, non solum iura ecclesiastica custodire et tueri, verum et Ecclesias ditare et dotare, peticionibus Abbatis et fratrum Ecclesie Virginis Gloriose assensum fauorabilem adhibentes, collacionem progenitorum nostrorum approbantes, totam terram Sydan sub eisdem metis et terminis, prout in privilegio domini Bele Regis avi nostri nostro presenti privilegio inserto contineretur, tam racione collacionis progenitorum nostrorum, quam racione damnorum per descensum et exercitum nostrum ville Monasterii Beate Virginis Kedhel vocate illatorum, duximus ipsi Ecclesie confirmandam, et eciam de Regali nostra munificencia conferendam, dictum privilegium avi nostri charissimi habentes ratum et acceptum non cancellatum, non abrasum in sigillo nostro (?) non confractum, non diminutum, nec in aliqua sui parte viciatum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus et presentis scripti patrocinio communiri, silencium de cetero Comitibus Soproniensibus pro tempore constitutis et officialibus eorundem, ac castrensibus eiusdem Castri super inquisicione et repeticione totalis terre Sydan perpetuum imponentes. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Thome Prepositi Electi Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, Regni autem nostri anno sexto, quinto Calendas Decembris.

(Hevenesi kéziratai közt LIX. köt 426. l.)

39.

IV. László király a Duna szigetén fekvő szent Pantaleoni monostort, melyet jogtalanul a sz. Katalin apáczazárdának adományozott volt, birtokával együtt urainak, Gabrian mester fiainak adja vissza. 1277.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum propter cultum Diuini nominis monasterium Sancti Pantaleonis, situm in Insula Danubii, ad peticionem sororum Sancte Katharine de valle Sancte Marie, quia vacuum erat et omnibus bonis destitutum, ipsis sororibus contulissemus, ignorantes de jure et hereditate Dominici, Jacobi et Gabriani filiorum magistri Gabriani extitisse. Quia tamen postmodum per Barones nostros et vniuersos Regni nostri Nobiles constitit euidenter,quod ipsum monasterium cum omnibus possessionibus,populis et suis pertinencijs jure hereditario ad predictos filios magistri Gabriani pertinebat, fidelitatibus et seruiciis eorundem consideratis, que nobis indefesse, cum Regnum nostrum inopinata calamitate opprimeretur, non tam per bellum intestinum, quam per potenciam Regis Boemorum, qui per astuciam sue peruersitatis municiones seu castra Regni nostri occuparat, impenderunt; maxime in expugnacione castri Jauriensis, vbi ijdem fuerunt per ictus lapidum et sogittarum letaliter vulnerati, de consilio Baronum et Regni nostri nobilium predictis Dominico, Jacobo, et Gabriano filijs magistri Gabriani, dictum monasterium cum omnibus possessionibus, populis et aliis pertinenciis restituendum duximus et reddendum; reuocantes collacionem seu donacionem factam per literas nostras vel priuilegium sororibus Beate Katherine memoratis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus lite-

ras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii Prepositi Albensis, domini Pape Capellani et Subdiaconi, aule nostre Vice-Cancellarij, anno Domini millesimo CC. septuagesimo septimo, Regni autem nostri anno quinto.

(Robert Károly király 1330-i megerősítő leveléből.)

40.

IV. László király megerősíti Erzsébet nővére számára, Tavarnuk nevű birtokra vonatkozó előbbi adományát. 1277.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod frater Petrus de Ordine fratrum Predicatorum, de Insula Beate Virginis ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis patentes literas, sub sigillo nostro annuali confectas, petens cum instantia, ut easdem ratas habere, et nostro dignaremur privilegio confirmare. Quarum tenor talis est:

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik ugyan IV. László király 1277-ki okmánya, mint fenebb 37. sz. a.)

Nos igitur peticioni eiusdem Petri liberalitate Regia annuentes, prefatas literas de verbo ad verbum insertas, auctoritate presencium duximus confirmandas, duplicis sigilli munimine roboratas. Mete autem ipsius terre, prout in literis Capituli Budensis, sub quarum testimonio per discretum virum magistrum Johannem Prepositum Ecclesie eiusdem, memoratam dominam Elisabeth sororem nostram charissimam in corporalem possessionem dicte terre fecimus introduci, continentur, hoc ordine distinguuntur. Prima meta inci-

pit a parte orientali, vbi dicuntur tres mete esse terree antique separantes, una a terra Neveg, altera a terra Alberth, tercia a terra Tavarnuk; hinc eundo ad eandem meridionalem partem sunt per ordinem quatuor mete; post hoc iuxta unam viam sunt tres mete, una meta terre Vany, alia terre Deed, tercia terre Tarnuk; hinc inter terram Deed et Tarnuk sunt due mete; hinc tendit versus occidentem, iuxta unum monticulum Paczot sunt tres mete, una ville Vossian (vagy Ossyan), alia terre Nicolai, tercia terre Tarnuk; hinc parum procedendo est vna meta terre Nicolai et terre Tarnuk; hinc paulisper procedendo sunt tres mete; una terre Nicolai, alia terre Taxon, tercia terre Tarnuc, et ibi terminatur. Vt igitur huiusmodi donacionis et confirmacionis nostre series robur perpetue firmitatis obtineat, presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri muuimine roboratas. Datum per manus magistri Thome, in Prepositum Albensem electi, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini 1277., Regni autem nostri anno sexto.

(Cornides kézirataiból. *Czech*)

41.

IV. László király ujra a pozsonyi káptalannak adományozza mindazon jószágokat, melyeket azelőtt birtak s melyekről szóló okirataikat a csehek és németek, bevevén Pozsony várát, elvitték. 1277.

Ladislaus Dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Pie et salubriter agitur, si que Sacro-Sanctis Ecclesijs pro animarum remedio laudanda deuocio donauit, et pro premio salutis eterne religio contulit Cristiana,

salua semper et illibata persistant, ac subnixa omni munimine perseuerent. Et ne labente curriculo temporis in hijs probacionum subtrahatur copia, ac per hoc ambigendi, quin ymo malignantibus aditus pateat litigandi; dignum est, ut literarum prouideatur testimonio ad rei memoriam sempiternam. Proinde notum sit tenore presencium vniuersis, quod vir discretus magister Antonius, Decretorum doctor, Prepositus Posoniensis, dilectus et fidelis noster ad nostram accedens presenciam, nobis exponere curauit, quod priuilegia possessionum Prepositure et Ecclesie Posoniensis, videlicet super villa Samud de Chollokuz, quam gloriose memorie dominus Bela quondam Rex Vngarie, karissimus auus noster, pro remissione peccatorum suorum in perpetuam elemosinam Prepositure et Ecclesie Posoniensi donauit, contulit et tradidit; et super terris Welk, Kuurth cum pistaturis Zoruoseurem, Senketekuta, Haruskuuth et Kurtueles uocatis, et alia piscatura Chewzweyz appellata, ac ceteris possessionibus, que vel ex donacione Regia, uel pia deuocione fidelium, vel empcionis aut cuiuscunque alterius contractus titulo ad Preposituram, et Posoniense Capitulum peruenerunt, tempore hostilitatis, quo Rex Boemorum tyrannizauit crudeliter in nos, et in Regnum nostrum nobis infra pubertatis tempora constitutis in capcione castri Posoniensis de camara Ecclesie Posoniensis vna cum alijs bonis eiusdem Ecclesie per Boemos et Theutonicos sunt ablata. Vnde idem Prepositus a nobis humiliter postulauit, ut donacionem ville Samud et aliarum predictarum possessionum collacionem et acquisicionem ratificaremus et approbaremus, et super hijs nostrum priuilegium concedere dignaremur. Nos igitur, quia nobis super premissis per Regni nostri Barones facta fuit plena fides, et quia augere intendimus ecclesiasticas facultates, annuimus iustis peticionibus Prepositi supradicti, et ex certa sciencia approbantes et ratificantes, volumuş, et concedimus, ac firmamus presenti priuilegio in perpetuum valituro; quod Prepositura et Ecclesia Posoniensis villam Samud cum omnibus terris arabilibus et non arabilibus, pratis, fenetis, virgultis, arundinibus, aquis, paludibus, et ceteris utilitatibus ac pertinencijs pro remedio anime aui nostri karissimi predicti et nostre donatam et concessam; ac terram Kuurth cum pi-

scaturis Zoruoseurem, Senketekuta, Haruskuuth, Kuurtueles nominatis, et aliam piscaturam Cheuzweyz uocatam, et alias possessiones suas habitas, aquisitas et collatas, que superius comprehenduntur, in perpetuum possideantpacifice et q uiete. Hoc expresse et precise de consilio et consensu Baronum nostrorum ex speciali gracia concedendo, quod nullus Comes Posoniensis, nec aliquis eius officialis, quocunque nomine uocetur, ad villam Samud, et ad alias villas et possessiones Prepositure et Capituli Posoniensis nec citandi, nec iudicandi, nec descendendi, vel descensum seu procuracionem recipiendi, nec collectam exigendi, uel faciendi, nec aliquid horum imponendi occasione audeat extendere manus suas, aut in eis sibi ius aliquod, uel iurisdiccionem aliquam quocunque modo aliquatenus uendicare, sed a Comite Posoniensi et eius officialibus quibuslibet, et ab ipso castro Posoniensi et castri aut terris (így) hominibus, custodijs et uigilijs plenissime in omnibus eadem villa Samud et cetere possessiones predicte sint libere penitus et exempte, et ad Prepositum et Capitulum Posoniensis Ecclesie pertineant pleno iure. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi uiri magistri Thome Electi Albensis Ecclesie, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri; anno Domini millesimo CC° LXX° septimo, Regni autem nostri anno sexto.

(Eredetie hártyán szépen írva. A pecsét hiányzik. Pozsonkáptalani magánlevéltár; Capsa C. Fasc. 7. Nro. 72. Ezen okmányt átírta és megerősítette III. Endre 1291.; és Robert Károly 1317. 4° nonas Novembris. *Knauz Nándor.)*

42.

IV. László király a tarnukuztári királyi tárnokokat megnemesíti. 1277.

LAdislaus Dei gracia Hungarie, Daluacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieqe Rex vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Regalis Magnificencia sibi totis nisibus, totis uiribus famulantes graciosis et benivolis consueuit attollere donatiuis, vt consolacionis linteo fomententur, quos labor prolixior et famulatus deuocior approbauit. Ad vniuersorum igitur noticiam tenore presencium volumus peruenire: Quod tauarnicos nostros Chotou et Chete, ac fratres eorundem, filios Hedrici, cum ipso Hedrico patre eorum; Michaelem et Lukach, filios videlicet Beed, filium Zumboth; Gueze filium Cheme, et Venceslaum filium Muz; Gregorium Chundor; Anias, Donk, Johannem, Tywoth, et Iwankam filios Iwanc; Lucam et Mydar, de Tarnukuztar, propter eorundem deuota seruicia, quibus nostre Maiestati se obsequiosos exhibuerunt famulatibus indefessis, cupientes prosequi Regalis gracie largitutis (így), a priori statu et condicione tauarnicorum cum terra ipsorum liberatos penitus et exemptos in cetum et numerum nostrorum seruiencium Regalium cum suis heredibus heredumque suorum successoribus duximus ex plenitudine Regalis gracie transferendos; volentes, ut ea gaudeant libertate, qua vtuntur et fruuntur ceteri seruientes Regales sub uexillo Regio militantes in ipsa terra Tarnukuztar, quam exemimus pro eisdem, libere et pacifice moraturi, tanquam nobiles in terris suis hereditarijs conmorantes. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Thome, Electi Ecclesie Albensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M. ducentesimo septuagesimo septimo, Regni autem nostri anno sexto.

(A győri káptalan 1381-ki átiratából. *Ráth Károly.)*

43.

IV. László magyar király I. Rudolf római-német királyhoz, hogy Otakar cseh király és annak emberei a követelt várokat birják még. 1277.

Ne diu sermonibus immoremur, sed conscientiae nostrae secreta sermo succinctus percurrat, simpliciter teste altissimo, prout in cordis nostri continetur secretario, profitemur, quod juxta felicis unionis foedera, quibus filialitatis ac societatis vinculis unum sumus, a vestris desideriis nostra nunquam discrepabit intentio, sed in omnibus, quae vestris blandiuntur affectibus, semper prompti et benivoli assurgemus. Sane ad hoc, quod nuper Vestra Celsitudo Regia nobis conquerendo monstravit, videlicet adhuc quaedam vestra castra a nostris fidelibus detineri in vestrum praejudicium occupata, Vestrae Majestati taliter duximus respondendum: quod nos ab O. et aliis, qui castra praedicta detinent, jam dudum eadem requisivimus, qui offerunt se paratos, quandocunque Vestrae Serenitati placuerit, coram vestris Baronibus per omnia facere, quicquid juris fuerit, et consonum rationi. Propter quod Vobis consulimus bona fide, quod ad terrarum nostrarum metas et terminos viros idoneos transmittatis, et nos de nostris aliquos adjungemus, ita, quod in ipsorum et praedicta castra detinentium praesentia quaestio hujusmodi fine amicabili terminetur.

(Bodmann Fer. Jozs., Codex Epistolaris Rudolfi I. Rom. Regis, Lipcse 1806. 66. l.)

44.

XXI. János pápa a nagyváradi püspöknek meghagyja, hogy Miklós erdélyi prépostot és ujonan választott esztergami érseket a római szék elejébe idézze. 1277.

Johannes Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri... Episcopo Waradiensi salutem et Apostolicam benedictionem. Strigoniensi Ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesie, sicut asseritur pro celebranda tutius electione Pontificis convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Nicolaum Prepositum Ecclesie Transylvane in suum et eiusdem Ecclesie Strigoniensis Archiepiscopum canonice et concorditer elegisse dicitur. Verum licet quondam Benedicto Canonico ipsius Strigoniensis Ecclesie se electum in Strigoniensem Archiepiscopum asserente, ac opponente se huiusmodi electioni Prepositi prelibati, felicis recordationis Innocentius V. predecessor noster huiusmodi electionum negocium pie memorie Adriano Pape, predecessori nostro, tunc Sancti Adriani Diacono-Cardinali, commiserit audiendum, predictis tamen predecessoribus nostris ac eodem Benedicto medio tempore viam universe carnis ingressis, et Preposito prelibato absente in negotio ipso, debitus non potuit haberi processus. Volentes igitur, ut prefatum negotium fine debito quamcitius terminetur, ne tali pretextu prefata Strigoniensis Ecclesia diu remaneat Pontificis regimine destituta, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus Prepositum ipsum ex parte nostra per te vel alium seu alios peremptorie citare procures, ut infra duos menses post citationem huiusmodi personaliter compareat coram nobis in negotio ipso, sicut de iure fuerit processurus, et, si negotium ipsum ad statum perfectionis decernerit, examinationem prout convenit subiturus. Diem vero citationis et formam per tuas patentes litteras tuo proprio sigillo munitas, tenorem

presentium nichilominus continentes, nobis non differas fideliter intimare. Datum Viterbii III. Idus Martii. Pontificatus nostri anno primo.

(Eredeti után Theiner id. m. I. köt. 322. l. Ezen okmány kivonatát lásd Fejérnél Cod. Dipl. V. k. 2. r. 423. l.)

45.

I. Rudolf római-német király IV. László magyar királyt felszólítja, hogy segitségére legyen II. Otakar cseh király ellen. 1277.

Indue mente virum, fili ac socie praedilecte! ecce, jam acceptabile tempus instat, in quo ulcisci poterimus atroces injurias callidi inimici Regis Bohemiae, qui fidei pulchritudine a se longius exulata, adhuc occultas contra vos et nos machinatur insidias malignandi. Exsurgat igitur princeps praepotens, si acta voluerit vindicare priora, e t antiquam perfidiam hostis perfidi ad memoriam revocet, nec moretur, sed postpositis negotiis quibuslibet quantumcunque arduis, ad metas terrarum nostrarum veniat indilate; illuc enim vobis procul omni dubio occurremus, ordinaturi et tractaturi vobiscum, quomodo et qualiter contra dictum Regem Bohemiae in praefato negotio procedere debeamus. Et ut ad suas ulciscendum injurias una nobiscum vestra potestas Regia ferventius animetur, in illius amicae societatis et filialitatis vinculo, quo conjungimur, vos monemus, ut ad praedictas metas vestra Magnificentia veniat, et non tardet, nec a felici unione nostrae amicitiae resipiscat.

(Bodmann id. m. 40. l. V. ö. Fejér. Cod. Dipl. V. k. 2. r. 320. l.)

46.

I. Rudolf római-német király a borsmonostrai apátságot különös pártfogása alá veszi. 1277.

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus omnibus et singulis Sacri Romani Imperii fidelibus, ad quos presentes litere pervenerint, gratiam suam et omne bonum. Cum — — — Abbatem et fratres Ordinis Cisterciensis, in monte Sancte Marie, in nostram protectionem et gratiam receperimus specialem : volumus et mandamus vobis singulis et omnibus, ad nostre dicionis dominium pertinentibus, nostre gracie sub optentu, ne quis eosdem fratres, homines, sive bona ipsorum audeat vel presumat aliquatenus molestare : nam qui secus faceret, et nostrum mandatum transcenderet hac in parte, nostram iram incurreret ipso facto graviter et offensam. Datum Wienne XI. Kalendas Aprilis, Regni nostri anno quarto.

(Lambek Péter, Comment. de Bibliotheca Caes. Vindobonensi, 2-ik kiad. Bécs 1767. I. k. 570. l. *Czech.)*

47.

Egy névtelen püspök I. Rudolf római-német királyhoz, az annak leánya, Klementina, és Endre szlavoniai herczeg közti eljegyzés iránti örömét fejezi ki. 1276.

Cum Romani Regni felix prosperitas, et regentis Imperium Romani Regis magnifici prosperari nobis felicitas nuntiatur, ubertate mirifica faecundata, succrescit in nobis materia gaudiorum, et diversis angustiis angustatum in Ecclesiae nostrae adversitatibus pectus nostrum, laetis vestris successibus ampliatum pascitur, et in quantum vestrae potentiae brachia dilatatis funiculis virium latius roborantur, in tantum nostra praecordia redundantibus gaudiis altius elevata respirant. Illi tamen Deo altissimo dignae devotionis rependimus gratias, qui in vobis virtute suae potentiae misericorditer operatur res adeo gratiosas; ubi etiam, quod humanae modulus facultatis difficile et velut impossibile reputat, moderator alti consilii Dei filius in negotiis vestris facili levitate modificat, perficit, et consumat. Sane super sponsalibus inter Dominam nostram, filiam vestram (Clementinam), et illustrem Principem N. (Andream) Ducem Slavoniae, de consensu sanctissimi Patris nostri et Domini, Sanctae Rom. Ecclesiae Summi Pontificis laudabiliter ordinatis laudes omnipotenti Deo referimus, eo quod ad sublimationem Sacri Imperii foedus hujusmodi amicitiae feliciter duraturae credimus et speramus Divinitus adunatum. In qua sperata diutius unione divisiones et schismata, quae adversus Romani culminis unum caput se elevant et extollunt, deficiente spe vacua convertentur ad vesperam, ut adorent vestigia regis magnifici, quem magnificavit altissimus in sublimi solio monarchiae confirmans et roborans Regnum ejus.

(Bodmann id. m. 28. l.)

48.

Jolenth özvegy rokonaival a budai káptalan előtt az illetőket hitbére és jegyajándoka iránt nyugtatványozza. 1277.

A B C

Vniuersis presens scriptum inspecturis, Capitulum Budensis Ecclesie, salutem in salutis largitore. Ad omnium tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod nobilis domina Jolenth nomine, relicta Ogouch Comitis, filij Comitis Mykou; magister Johannes Prepositus Ecclesie nostre frater suus, et Comes Andreas filius Comitis Ivanka pater eiusdem, ex una parte; Comes Petrus frater uterinus dicti — — — Ogouch ab altera coram nobis personaliter constituti, predicta domina confessa est : Quod memoratus Comes Petrus — — — — —. persoluendo eidem quadraginta marcas in argento pro totali expedicione dicte dotis sue, in qua summa — — — — dotem suam, ipsi Comiti Petro relaxarat, et eadem domina omnes res suas secum tempore nupciarum asportatas, dixit sibi fuisse redditas et restitutas per Petrum Comitem antedictum, et hoc idem dictus magister Johannes Prepositus, et Comes Andreas uina uoce affirmarunt, et sic eadem domina, magister Johannes Prepositus, et Comes Andreas Petrum Comitem antedictum, et suos cognatos, ab inpeticione dicte dotis et rerum parafernalium, reliquerunt penitus expeditos. Ita quod nec ipsi nec aliqui de cognacione eorum, dictum Petrum Comitem, occasione dotis et rerum parafernalium predictarum, poterunt aliquo umquam tempore molestare. In cuius rei memoriam litteras presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Ambrosij Scolastici Budensis. Anno Domini M°. CC°. LXX°. septimo. Magistro Johanne Cantore, Petro Custode, Bedeu Decano, Scela sa-

cerdote, Damiano, Elya, et Stephano magistris, ceterisque Canonicis existentibus.

Jegyzet. Hártyára írott metszett levél, mellynek alul fölhajtott hártya hasadékaiból ibolyakék sodrott selyemről függő pecséte hasonló ahhoz, melly réznyomatban a Magyar Történelmi Tárban II. 10. látható. A kékkői levéltárban: AL. 15. *Érdy.*

49.

Chernei Péter és Döme Redemech örök birtokukat Pous sogoruk fiainak adják. 1277.

Omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, presens scriptum inspecturis Capitulum Ecclesie Agriensis salutem in omnium Salvatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Comite Petro, filio Nycolai filii Detrici de Cherne, ac Demetrio fratre ejusdem ab una parte, Comite Pous filio Comitis Marcha ex altera coram nobis personaliter constitutis, per prefatos Petrum, et Demetrium propositum exstitit, quod quandam terram ipsorum hereditariam Redemech, alio nomine Wyl vocatam, Nicolao, Egidio, Stephano, et Dominico filiis ipsius Comitis Pous, a domina sorore ipsorum procreatis, et procreandis, ipsis, et ipsorum heredibus, heredumque suorum successoribus cum omnibus vtilitatibus, et pertinenciis suis, a nemine consanguineorum suorum aliquatenus repetendam, dedissent, et contulissent, et coram nobis contulerunt sub eisdem metis, et terminis, quibus pater ipsorum et iidem obtinuerunt, perpetuo iure possidendam. In cujus rei testimonium ad instanciam predictorum, presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas; presentibus tunc Farkas Cantore, Thoma Lectore, Myko Custode, Marco de Pata, Ladislao de Zeuleu, Anthonio de Nouo Castro, Urbano de Zoboleh, Petro de Vng,

Paulo de Bursua, Archidiaconis, et aliis multis. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo. Regnante Ladislao Illustri Rege Vngarie, Strigoniensi Sede vacante, Stephano Colocensi Archiepiscopo, patre Andrea Episcopo Agriensi existentibus.

(Eredetie a szepesi káptalan levéltárában. *Hatvani Mihály.*)

50

Adám Turóczi Obusk fia, maga és vérrokonai nevében a közösen birt Nógrád (most Hont) megyei Zahara földét az esztergami káptalan előtt bevallja. 1277. máj. 3.

A B C

Magister Ladizlaus Prepositus et Capitulum Ecclesie Strigoniensis omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire; quod Adam filius Obusk de Turuch pro se et pro Obud fratre patris sui, ac pro Preyezlou filio Kuba cognato suo, sicut ipse dixit, coram nobis constitutus, confessus est, quod ipse et cognati sui predicti, quandam terram eorum communem Zahara uocatam in Comitatu Nogradiensi sitam, commetaneam terre Dominici Comitis, filij Nicolai, similiter Zahara uocate, uendiderint eidem Dominico Comiti, et ipsius heredibus pro decem marcis argenti, perpetuo possidendam; et quod ipsas decem marcas ab eodem Dominico Comite, plenarie accepissent. Et sicut partes predicte, videlicet Comes Dominicus et Adam nobis dixerunt, cursus metarum eiusdem terre talis est, quod prima meta incipit a septemtrione circa Zohora potoka, et tendit contra meridiem super quodam *berch*, sub ylice sunt mete, et tenet metas cum Podlosan; inde super

eodem *berch* paululum progrediendo uersus occidentem, sub ylice sunt mete, et tenet metas cum ecclesia de Bozouk; demum uadit per viam super eodem *berch* circueundo (igy) contra septemtrionem, circa viam predictam, inter quercus sunt tres mete; de eodem *berch* descendendo, circa viam sunt tres mete angulares, tenent metas cum Paznano de Chalamya; inde descendit in latere montis vmbrosi, iterato contra orientem, et in fine terre arabilis, inter rubos, sunt tres mete, ibique angulatur; demum tendit uersus septemtrionem, et transit vallem directe ad ylices, et ibi sunt mete, et tenet metas cum Batur de Nene; inde descendit per terram arabilem, et transit Zahara Potoka asscendendo ad montem, et in latere eiusdem sub quercu sunt mete; inde asscendit ad *berch*, et ibi sunt mete sub ylice et sub piro; demum per eundem *berch* circueundo, contra orientem tendit, et ibi sunt mete sub ylice; inde per viam gregum uenit super eodem *berch*, et reflectitur contra meridiem, et uenit ad metas priores, et tenet metas cum Zahara; ibique terminatur. In cuius rei testimonium secundum assercionem et instanciam parcium, presentes nostras concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Sixti Lectoris Ecclesie nostre, quinto Nonas Maij, anno Domini millesimo CC°. LXX°. VII.

Jegyzet. Hártyára írott metszett levél, melynek alúl fölhajtott hártya hasadékaiból vörös és sárga sodrott selyemről szintén pecsét függ, melly réznyomatban a Magyar Történelmi Tárban II. 23. látható. A kékkői levéltárban: AL. 16. *Érdy.*

51.

A somogyi sz. Egyed konventje bizonyítja, hogy János ispán Mogorey részbirtokát, melyet a várjobbágyokkal közösen birt, elkülönözni s határjárással kijelölni kivánván, e kivánságától a várjobbágyok kérelmére elállott. 1277.

Conventus Monasterij Sancti Egidij de Symigio omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentes litteras inpsecturis salutem in eo qui est salus omnium. Noticie cunctorum declaramus, quod Comes Johannes filius Isyp ab una parte, Zenke filius Bed, Ioanka filius Kyrev, Nycolaus filius Tyze, Benke filius Emerici, Petrus filius Pyntek, Nyged filius Marcus, castrenses de villa Mogorey, una cum Antalo filio Wytalus de Maach, homine Gregorii Bani Comitis Symigiensis, personaliter ex altera coram nobis constituti; idem Comes Johannes dixit, ut haberet terram cum terris castrensium predictorum in dicta villa Mogorey communem et sine divisione, et nunc uellet separare de eisdem, eo quod propter presentem Regni discensionem et guerram nollet cum ipsis castrensibus possidere seu tenere. Cuius Comitis Johannis dicta prenominati castrenses uera esse communiter affirmauerunt, et ideo Comes Johannes et etiam castrenses iam dicti hominem nostrum fidelem pro testimonio postulaverunt, in cuius presencia mediante Antalo filio Wytalus, per Gregorium Banum Comitem Simigiensem dato, ipse Comes Johannes terram suam separaret de castrensibus memoratis, et undique metis distingueret seu signaret. Nos autem fidelem hominem nostrum misimus cum Comite Johanne ad omnia premissa exequenda, qui postmodum cum Comite Johanne, memorato Antalo filio Wytalus, Zenke et omnibus socijs suis supradictis castrensibus ad nos reuersus nobis dixit; ut dum terram suam Comes Johannes separare de terris ipsorum castrensium noluisset, ijdem castrenses asseruerunt, se super sua propria terra non posse commorari, si

ipse Comes Johannes suam terram separaret ab eisdem; et ibi dicti castrenses rogaverunt Comitem Johannem memoratum, ut ipsorum peticionibus humilibus se inclinaret, et sicut ijdem castrenses in nostra presencia constituti, et Comes Johannes pretaxatus dixerunt, ipse Comes Johannes misericordia motus ipsorum peticionem admisisset, ut dictam terram suam similiter sine diuisione possideret cum eisdem, prout actenus tenuit et possedit. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem ad peticionem et instanciam Comitis Johannis filij Isyp, Zenke et sociorum suorum castrensium predictorum presentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno ab Incarnacione Domini M° CC° LXX° septimo. Elya Abbate, Luchach Decano, Petro Custode existentibus.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, melynek alúl fölhajtott hasadékaiból hártyakötelékről függöt pecséte elenyészett. Másolta Horvát István. *Érdy.*

52

IV. László király Ipolit gróf fiainak adományozza Fonu nevű földet. 1278.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Vngarie significamus omnibus quibus expedit presencium per tenorem, quod magister Vgra, Nicolaus, Valentinus, et magister Ipolitus filij Comitis Ipoliti de Elya, fideles nostri, quandam terram Fonou vocatam Tawarnicorum nostrorum nomine terre vacue a nobis petierunt sibi dari; sed quia de qualitate et quantitate ac circumstancijs eiusdem terre nobis veritas non coustabat, fidelibus nostris Abbati ei Conventui Symigiensi dedimus in mandatis, que postmodum rescripserunt nobis in hec verba:

Excellentissimo domino suo Ladislao Dei gracia Illu-

stri Rege Vngarie Conuentus Monasterij Sancti Egidij de Simigio oraciones in Domino debitas et deuotas. Receptis litteris Vestre Maiestatis cum Gabriano de Myrey homine vestro fidelem hominem nostrum misimus pro testimonio ad reambulandam terram Fonou uocatam Tawarnicorum vestrorum, quam magister Vgra et fratres sui, filij Comitis Ipoliti a uestra gracia petierunt sibi dari. Qui postmodum una cum eodem homine vestro ad nos redientes dixerunt, quod convocatis vicinis et commetaneis predictam terram Fonou reambulauerunt, et eandem vacuam invenerunt, et nullo contradictore apparente statuerunt Vgra et fratribus suis, filijs Comitis Ipoliti iuxta collacionem vestre magnitudinis possidendam.

Vnde nos ad peticionem prefatorum nobilium dictam terram Fonou eisdem auctoritate presencium duximus conferendam, daturi super hoc nostrum priuilegium cum presentes fuerint reportate. Datum in villa Tek feria secunda post Dominicam Exsurge, anno Domini M°. CC°. septuagesimo octauo.

(A pecsét az okmány határa van nyomva. Eredetie a nemzeti muzeum kézirati gyüjteményében.)

53.

IV. László királynak ezen adományról kiadott ünnepélyes oklevele. 1278.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Regijs beneplacitis insudantes Regali dignum est munificencia subvenire, eosque commodis premiorum et conuenientibus attollere donatiuis. Ad vniuersorum igitur noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum magister Vgra, Nicolaus et magister Ipoly-

tus, filij Comitis Ipolyti, nobiles de Elya, fideles nostri, quandam terram olim tauarnicorum nostrorum Fonou uocatam vacuam et habitationibus destitutam a nostra Celsitudine petierint sibi dari, nosque quia de eiusdem terre qualitate ac circumstancijs plene non constabat, ad habendam noticiam pleniorem fidelibus nostris Abbati et Conventui Monasterij Symigiensis super hoc dedimus in mandatis. Qui postmodum nobis in suis rescripserunt litteris in hec uerba:

Excellentissimo domino suo Ladizlao Dei gracia Illustri Regi Vngarie Conuentus Sancti Egidij de Symigio, oraciones in Domino debitas et deuotas. Receptis litteris Vestre Maiestatis cum Gabriano de Myrey homine vestro, fidelem hominem nostrum misimus pro testimonio ad reambulandam terram Fonou uocatam tauarnicorum vestrorum, quam magister Vgra et fratres sui, filij Comitis Ipolyti a vestra gracia petiuerunt sibi dari. Qui postmodum unacum eodem homine uestro ad nos redientes dixerunt, quod convocatis vicinis et commetaneis predictam terram Fonou reambularunt, et eandem vacuam inuererunt et nullo contradictore aparente statuerunt Vgra et fratribus suis, filijs Comitis Ipolyti, iuxta collacionem vestre Magnitudinis possidendam.

Nos itaque eorundem Magistri Vgra et fratrum suorum precibus inclinati ipsorum famulatus et seruicia, que nobis in diversis Regni nostri negocijs, maxime in expedicione nostra contra Regem Boemie habita, et felici victoria terminata, ipso Rege Boemie in certamine prelij interempto laudabiliter impenderunt, consideracione Regalis prouidencie attendentes, in signum recognicionis Regie, non in premium remuneracionis accepte, prefatam terram Fonou uocatam eisdem, et per eos suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus, et contulimus perpetuo et irreuocabiliter possidendam, non obstantibus litteris nostris prioribus Jacobo filio Hedrici super collacione, eiusdem terre, sicut dicitur, primitus impetratis, quas in sue peruersitatis penam, quia societati filiorum Henrici adhesit, maleficia plurima committendo penitus reuocamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Johannis Prepositi Budensis et Ele-

cti Ecclesie Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M°- CC°- LXX°- octauo, Regni autem nostri anno septimo.

(Eredetie a nemzeti muzeum kézirati gyüjteményében.)

54.

IV. László király Mezőtarcsà nevü földre vonatkozó adománya Moricz és Endre grófok számára. 1278.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod Mauricius et Andreas Comites officiales venerabilis patris Lodomerij Episcopi Varadiensis ad nostram accedentes presenciam nobis exposuerunt conquerendo, quod cum ipsi quandam terram Mezeutarcha vocatam ex collacione Serenissimi Regis domini Stephani, karissimi patris nostri inclite recordacionis, et nostra aliquamdiu possedissent, eandem postmodum Gregeu filius Pauli occupando uiolenter ab eis abstulisset; pecierunt igitur iidem Mauricius et Andreas Comites a nobis cum instancia, ut eis dictam terram ipsorum reddere et restituere de Magnificencia Regia dignaremur. Nos igitur iustis eorumdem precibus fauorabiliter inclinati, attendentes maxime, quod eundem Gregen propter ipsius notoria nocumenta et excessus manifestos ultimo suplicio decreuimus ulciscendum, fidelibus nostris Preposito et Conuentui ordinis Premonstratensium de promontorio Waradiensi dedimus in mandatis, vt cum Iwanka filio Marcelli vnum ex ipsis transmitterent fidedignum, coram quo dictam terram eisdem Ma(u)ricio et Andree Comitibus restituat, citatis nichilominus contradictoribus

si qui fierent ad nostram presenciam ad terminum competentem. Iidem itaque Prepositus et Conuentus nobis rescripserunt, quod prefatus Iwanka homo noster sub eiusdem Conuentus testimonio dictam terram Mezeutarcha conuocatis et presentibus omnibus commetaneis et vicinis restituisset et assignasset eisdem Mauricio et Andree Comitibus nullo penitus contradictore existente. Nos igitur consideratis eorundem Mauricii et Andree Comitum seruiciis meritoriis, que nobis cum omni fidelitate laudabiliter in diuersis expedicionibus nostris impenderunt, memoratam terram Mezeutarcha uocatam cum omnibus pertinenciis et utilitatibus suis vniuersis, sub metis ueteribus et antiquis contulimus, dedimus et donauimus ipsis Mauricio et Andree Comitibus ac eorum heredibus, ymmo collacionem eisdem dudum factam confirmauimus perpetuo valiture donacionis titulo possidendam. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Nicolai Albensis Ecclesie Electi, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° LXX° octauo, Regni autem nostri anno septimo.

(Eredetie t. cz. Almásy Diénes ajándékának folytán a magyar akademia kézirati gyüjteményében.)

55.

IV. László király János mesternek egy ekényi földet adományoz. 1278.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire : quod magister Johannes Gallicus de Lypthow ad nostram accedens presenciam, quamdam terram vsui unius aratri sufficientem terre sue proxima vicinitate adiacentem, vt dicebat, petiuit a nobis sibi dari. Verum quia qualitas et quantitas ipsius terre nobis plene non constabat, Detrico Preposito de Turul dedimus in mandatis, vt accederet ad terram memoratam, et eam, si inueniret esse talem, que ad nostram collacionem pertineret, assignaret magistro Johanni possidendam. Qui quidem Prepositus eandem terram statuit magistro Johanni sepedicto, prout in tenore suarum literarum vidimus contineri. Quarum quidem literarum tenor talis est :

Nos Detricus Prepositus de Turul stb. (következik Detre turuli prepostnak ugyanazon évi beiktató bizonyitványa mint alább.)

Nos itaque grata et meritoria servicia ipsius magistri Johannis attendentes sepedictam particulam terre sub eisdem metis et terminis, prout superius est expressum — — — dedimus donauimus et tradidimus ipsi magistro Johanni jure perpetuo et irreuocabiliter possidendam, a terra populorum nostrorum de villa Lubela vocata abstractam penitus separatam. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes literas concessimus dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Johannis Doctoris Decretorum, Prepositi Budensis, Archielecti Colocensis, et aule nostre Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octauo.

(Zsigmond királynak 1407-ki megerősítéséből.)

56.

III. Miklós pápa Gellért mestert a papi jövedelmek tizedének, mely a szent föld segítségére fordíttassék, beszedésével tovább is megbízza. 1278.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Magistro Gerardo de Mutina, Subdiacono et Scriptori nostro, Collectori decime in Ungaria, Polonia et adiacentibus prouinciis terre sanćte subsidio deputate, salutem et Apostolicam benedictionem. Felicis recordationis G(regorius) papa, predecessor noster olim approbante Concilio Lugdunensi decimam omnium ecclesiasticorum redditunm et proventuum ad terre sancte subsidium per sex annos, a festo Nativitatis Beati Johannis Baptiste tunc transacto novissime numerandos, concessit, tibique dictus predecessor, et postmodum pie recordationis Johannes Papa, predecessor noster, suis dederunt litteris in mandatis, ut predicte decime colligende in Ungaria,Polonia et adiacentibus provinciis subscripto modo sollicite curam gereres; videlicet ut in singulis Civitatibus et Diocesibus partium earumdem de consilio locorum Ordinarii, aut eius vicem gerentis, si diocesanus ipse absens foret, et duorum fidedignorum de Ecclesia Cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum quoad non exemptos, quoad exemptos vero de consilio aliquorum presbiterorum de contrata deputares duas personas fide, facultatibus, si tales invenirentur comode, ac alias ydoneas ad collectionis huiusmodi ministerium exequendum : collectores vero, quos ut premittitur deputares, sub forma iurare faceres in eisdem litteris annotata, et ut tu nichilominus partes circuires easdem diligentius scrutaturus, qualiter in commisse sibi dicte collectionis officio iidem se collectores haberent, qualiter ipsis de decima satisfieret supradicta, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum ordinarii, et aliorum consilio faceres per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi: tibi

quoque cum consilio eorumdem ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos, quotiens expedire videres, ac eos compellendi ad reddendum coram eisdem ordinariis, et aliis, tibi computum de collectis, et contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam auctoritate Apostolica compescendi plenam concesserunt auctoritate simili potestatem. Et ut tam tu, quam dicti collectores fructum reportaretis ex vestris laboribus, iidem predecessores premissa tibi et eis in remissionem peccaminum iniunxerunt; et nichilominus a prestatione decime pro annis illis, quibus circa ea laboraretis, vos esse voluerunt immunes, te preterea illius indulgentie concesserunt esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in terre sancte subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus, in quibus circa premissa vacares, tres solidos sterlingorum perciperes pro expensis; non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi ac tota eius continentia de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter aut specialiter sub quacumque forma, vel conceptione verborum ab eadem sede concessis; de quibus, quorumve totis de verbo ad verbum in litteris Apostolicis plena, et expressa mentio esset habenda. Voluerunt etiam predecessores iidem, ut frequenter eis rescriberes, quod actum esset in qualibet ex provinciis sepedictis, tam circa collectores, quam circa collectionem et quantitatem collectam, ipsius depositionem, locum depositionis et modum. Cum igitur huiusmodi negotium specialiter insideat cordi nostro, et ad liberandam de manibus ipsorum terram ipsam mentis nostre desiderium dirigatur, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad executionem prefati negotii studeas vigilanter intendere iuxta predictorum predecessorum eorundem continentiam litterarum, sic prudenter et consulte in hac parte te dirigens, ut ab eo, qui est omnium bonorum retributor, retributionis premium, et a nobis laudis

titulos et gratiam assequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. köt. 323. l.)

57.

III. Miklós pápa Miklós erdélyi prépostnak esztergami érsekké választatását törvénytelennek nyilatkoztatja és megsemmisíti; egyszersmind a veszprémi püspök postulatiojának sem engedvén helyt. 1278.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Dilectis filiis Karacino presbitero et Nicolao clerico procuratoribus dilecti filii Nicolai Prepositi Ecclesie Transilvane, causam electionis, que in Strigoniensi Ecclesia vacante per mortem bone memorie Philippi Strigoniensis Archiepiscopi, de ipso Preposito dicitur celebrata olim coram felicis recordationis Gregorio, Innocentio et Adriano, tunc Sancti Adriani Diacono Cardinali, ex commissione ipsius Innocentii, nec non et Johanne Romanis Pontificibus, nostris predecessoribus, ventilatam, dudum eiusdem Prepositi nomine prosequentibus coram nobis ac petentibus cum instantia, ut electionem ipsam, quam dicebant canonicam et concordem, dignaremur auctoritate Apostolico confirmare. Dilectus filius magister Paulus Prepositus Ecclesie Wesprimiensis, Canonicus Strigoniensis, procuratur venerabilis fratris nostri Vesprimiensis Episcopi, asserens, quod predicti Capitulum eundem Episcopum in Archiepiscopum Strigoniensem in concordia postularunt, ac electioni huiusmodi se opponens, tam contra personam dicti Prepositi, quam contra formam electionis predicte, defectus et crimina infrascripta, nec non et alia, propter que dicebat eandem electionem non confirmari, sed infirmari, seu potius cassam et irritam innitiari de-

bere : obiecit videlicet, quod per impressionem, minas et terrores tam per ipsum Prepositum, qui per unam diem Canonicos eiusdem Ecclesie congregatos, in ipsa ecclesia Strigoniensi ad tractandum de electione pastoris clausos, fecit inibi detinere, cibum eis sumere non permittens; quam per carissimam in Christo filiam nostram Elisabeth Reginam Ungarie illustrem, eodem procurante Preposito, Canonicis ipsis illatos, ad electionem ipsam iidem Canonici processerunt. Quodque idem Propositus raptor existit, et incendiarius ecclesiarum, aliorum locorum et villarum plurimum manifestus, et crimine homicidii perpetrati ab ipso in clericos et alios irretitus, intollerabilem patitur in litteratura defectum. Et quod olim, dum inter eum et quondam B. Vice-Cancellarium carissimi in Christo filii nostri . . . Regis Ungarie illustris, qui canonice ad ipsius ecclesie regimen, ut dicitur, erat electus, super electione huiusmodi questio verteretur, administrationi Ecclesie predicte temere se ingessit, et adhuc ingerere non veretur, Canonicos ipsius Ecclesie sibi tamquam eorum Prelato, prout nec tenentur, obedire nolentes eiciendo a dicta ecclesia, et eorum dominibus (igy) per potenciam laicalem, ac bonis suis propriis et communibus spoliando. Sigillum quoque commune ipsius Capituli accipiens violenter, ipso ac multis aliis bonis abutitur ad Capitulum pertinentibus supradictum, nonnullas res ipsius Ecclesie pro sue voluntatis libito consumendo. Et litterarum dictorum predecessorum Gregorii et Johannis auctoritate citatus, ut certis terminis pro negotio electionis predicte Apostolico se conspectui presentaret, comparere coram eis contumaciter non curavit, nec alias a Romano Pontifice confirmationem electionis predicte personaliter petiit, nec ad petendum transmisit personas ydoneas, per quas super electoribus et electis diligens inquisitio haberi posset, iuxta canonica instituta, quamquam sex anni vel circiter tunc essent elapsi a tempore, quo dicta sua electio dicitur celebrata, et quod decretum electionis predicte pro parte sua Romano Pontifici non exstitit presentatum, licet quedam scriptura formam decreti continens ostensa fuerit sub quibusdam sigillis, quibus de iure non erat fides aliquatenus adhibenda. Quodque cum olim procurator suus in eiusdem predecessoris Innocentii presentia constitutus inter

rogatus ab ipso, responderit, quod dicta sua electio quasi per inspirationem Divinam fuerat celebrata, et in predicta scriptura nuper pro parte sua exhibita contineatur, quod ad eandem electionem fuit per formam compromissi processum, tamquam allegans contraria non erat dictus Prepositus in premissa petitione confirmationis electionis sue aliquatenus audiendus. Cum autem idem Prepositus, sicut premittitur, citatus peremptorie auctoritate litterarum eiusdem predecessoris Johannis inter cetera continentium, ut se personaliter Apostolice Sedis conspectui certo termino presentaret, examinationem debitam subiturus: alioquin idem predecessor Johannes ad diffinitionem huiusmodi negotii procederet, eius absentia non obstante: apud eandem sedem, nec in prefixo sibi ad hoc termino, nec postmodum personaliter comparere curasset. Nosque dispendiis, que ipsi Ecclesie ex vacatione imminent, occurrere intendentes, proponeremus idem negotium fine celeri et debito terminare, dicti procuratores eiusdem Prepositi a nobis instanter et suppliciter postularunt, ut ipsi Preposito terminum peremptorium concedere curaremus, infra quem cum omnibus actis, iuribus, munimentis et probationibus suis, et specialiter cum decreto ipsius electionis, nec non et aliquibus Canonicis Strigoniensibus ac aliis personis ydoneis, per quas posset apud sedem ipsam super toto negotio plena veritas inveniri, Apostolico conspectui se personaliter presentaret: ita quod si dictus Prepositus in eodem termino, sicut dictum est, non compareret personaliter coram nobis, iidem procuratores in ipso eiusdem petitionis contextu et instantia suo nomine concludentes, renunciaverunt omnibus probationibus et rationibus, iuribus et allegationibus, quibus tam pro excusatione absentie ipsius Prepositi, quam pro iure, quod ex eadem electione sibi asserit acquisitum, idem Prepositus, vel ipsi procuratores sui seu alius suo nomine uti possent; petentes nichilominus, ut extunc ad diffinitivam sententiam in dicto negotio nulla alia facta citatione procederemus, sepefati Prepositi absentia non obstante. Quamquam autem contra premisse intentionis nostre propositum esset huiusmodi negotii quecumque dilatio, presertim cum sicut iam intelleximus, tam occasione vacationis eiusdem Strigoniensis Ecclesie, quam ex aliis causis variis non

solum ipsi Ecclesie, sed etiam toti Regno Ungarie gravia immineant detrimenta, variaque sint in eodem Regno tribulationes et scandala suscitata, contra que per accelerationem provisionis eiusdem Ecclesie sperantur utilia remedia proventura: tamen ad evidentiorem processus nostri iustitiam eisdem procuratoribus dicti Prepositi, super concessione sic petiti termini de fratrum nostrorum consilio annuentes, secundam feriam Resurrectionis Dominice proxime transacte octavas immediate sequentem dictis procuratoribus pro ipso Preposito, et eidem Preposito per eosdem peremptorio termino duximus assignandam, ut idem Prepositus iuxta formam in suprascripta petitione procuratorum suorum expressam personaliter compareret infra dictam secundam feriam coram nobis, facturus et recepturus super premissis negotio et obiectis contra eum, quod suaderet iustitia, quodque nos super illis statuendum duceremus, seu etiam ordinandum; ita quod nisi Prepositus idem iuxta prescriptam formam comparere in termino prefato curaret, nos predictas conclusionem et renunciationem a dictis suis procuratoribus nomine suo factas extunc ratas et firmas habentes, ac de ipsorum fratrum consilio ratas et firmas existere decernentes, lapso predicto termino ad difinitivam sententiam et ad statuendum et ordinandum, quod et prout expedire videremus, super eodem negotio et aliis omnibus supradictis absque alterius citationis edicto procederemus eiusdem Prepositi absentia non obstante. Sane licet dictus Prepositus, ut ex premissis tenebatur, non comparuerit in termino supradicto, tamen dilecti filii magister Benedictus Archidiaconus de Bekes, et sepefatus Karacinus, procuratores eiusdem Prepositi, pro parte ipsius nostro se conspectui presentarunt, et decretum super electione predicta, que de ipso Preposito facta dicitur, confectum sub nomine ipsorum Capituli et Canonicorum Strigoniensium exhibentes in nostra et eorumdem fratrum nostrorum presentia, inter cetera sunt confessi, premissum nostrum processum circa medium Quadragesime nuper preterite ad ipsius Prepositi notitiam pervenisse. Verum eiusdem Prepositi excusare absentiam satagentes asserebant, quod pro bono statu Regni prefati, quod non solum extrinsecis bellis impetitur, sed et intestinis scinditur et scissuris est multimodis laceratum, se ab illo absentare ne-

quiverat, sed necesse habebat in illis partibus remanere; maxime quia inter carissimum in Christo filium nostrum Boemie illustrem ac eundem Ungarie Reges compromissum receperat, quod nondum erat per prolationem arbitrii vel alia ratione finitum, et ideo ipsum oportebat prosecutioni eiusdem compromissi personaliter interesse; adicientes preterea iidem procuratores, quod etiam predictis impedimentis cessantibus dictus Prepositus propter graves dissentiones et guerras, que sunt in Regno predicto, nullo modo absque persone periculo, cui se non esset ausus exponere, venire in dicto termino ad nostram presentiam potuisset, petierunt alium sibi terminum assignari, in quo dicebant ipsum personaliter ad eandem sedem precise absque ulteriori dilatione venturum. Cumque diligenter quesitum fuisset ab eis, quomodo tunc posset personaliter comparere, si quod de dissentionibus et guerris premittitur, veritate fulcitur; responderunt, quod huiusmodi dissentiones et guerre, ut eorum verbis utamur, in cessando iam erant, et adeo erat inter partes in concordie reformatione processum, quod pro ipsius firmitate iam hinc inde obsides dati erant. Et cum peteretur ab ipsis, quando dati fuerunt obsides supradicti, dixerunt, quod quatuor mensibus iam elapsis. Ceterum cum memorati Capitulum et Canonici Strigonienses in concessione decreti non solum varii, sed et sibi contrarii sint inventi, nunc super electione ipsius Prepositi, nunc super postulatione prefati Vesprimiensis Episcopi diversas et adversas concedendo scripturas, non videbatur fides dicto decreto pro parte ipsius Prepositi exhibito aliquatenus adhibenda. Cum circa decretum ab ipsius actoribus, Capitulo scilicet et Canonicis, seu ab habente causam ab ipsis, puta electo per eos, ad fundandam intentionem suam producitur, equum non esset, immo prorsus absurdum, fidem ei, maxime cum non publice, sed private scripture vim habeat, adhiberi presertim hoc casu, cum, sicut premittitur, per procuratorem ipsius Prepositi fuerit in iudicio pro eius parte responsum, electionem, de qua agitur, fuisse per inspirationem; decretum vero predictum eam per viam compro missi asserat celebratam, sicque non sit dubium procuratoris responsionem et decreti scripturam tanquam diversas, immo post et adversas, fidem sibi invicem derogare, nec ali-

quid prorsus firmitatis habere. Que autem ad ipsius Prepositi excusandam absentiam inducuntur, nullum excusationis suffragium videntur afferre. Nam nec malus status Regni prefati, (itt hiányzik valami) nec per provisionem ipsius Strigoniensis Ecclesie speratur multipliciter provideri ei, necessariam in illo moram indixit sed eam ipse sua subiit voluntate. Nec compromissi predicti receptio eum a necessitate parendi edicto nostre citationis exemit, licet ei post receptum compromissum arbiter dicere sententiam sit cogendus; tamen sicut legali provisione cavetur, urgens profectio, ad quam in casu eundem Prepositum auctoritas nostre citationis arctabat, id munus remittebat eidem : sed nec allegatio premissa periculi imminentis propter dissensiones et guerras eundem Prepositum a contumatia dicti predecessoris nostri Johannis commissa tempore, nostroque non solum continuata, sed etiam multiplicata defendit; tum quia non est verisimile, immo nec verum esse credendum, viro sic in dicto Regno potenti propter dissensiones et guerras huiusmodi taliter omnes vias fore preclusas, quod saltem cum diffusioris itineris onere ipsius predecessoris, aut nostre non potuerit citationi parere; tum quia dissensionum et guerrarum periculum non probabiliter allegatur, ubi super eis concordie tractatus proponitur, iam obsidum datione firmatus. Predictis itaque memorati Prepositi excusationibus, super quibus etiam nec fides facta extitit, nec oblata probatio, rite repulsis, quasque nec non et quaslibet alias probationes, rationes, iura et allegationes eiusdem dictorum Karazini et Nicolai procuratorum suorum conclusio, renunciatio et a nobis termini ad eorum instantiam secuta prefixio, ac decreti de ipsorum fratrum consilio interpositio satis efficaciter repellebant. Nos diligentius attendentes, per exhibitionem sepefati decreti nequaquam de ipsius Prepositi electione constare, nec aliam super ca fuisse probationem oblatam, sicut nec post conclusionem, renuntiationem et decretum predicta forsitan potuisset afferri; considerantes insuper, quod famam ipsius Prepositi, precipue quod ad processum in predicta electione habitum, omnium quasi de partibus illis venientium diffamat assertio, nec non et alia multa et varia, que contra electionem ipsam et eundem Prepositum, quoad eam religionem possent

cuiusvis iudicantis inducere et non leviter animum nostrum informant, electionem, que de ipso Preposito facta dicitur, ne prefata Ecclesia Strigoniensis diutius pateat vacationis incomodis, sed per provisionem ipsius etiam sepefati Regni Ungarie dispendiis occuratur, cassamus, irritamus, cassam et irritam nunciamus; et prefatis ipsius Prepositi procuratoribus eius nomine, ac ipsi Preposito per eosdem perpetuum silentium imponimus super illa. Ceterum cum postulatio non tam iuri, quam gratie innitatur, postulationem, que de dicto Vesprimiensi Episcopo facta premittitur, non persone vitio, cum de postulationis vel postulati meritis non fuerit plene discussum, sed propter alias facti circumstantias non duximus admittendam. Ne igitur vacatio prolixior graviora eidem Ecclesie ingerat detrimenta, nos in hac vice provisionem ipsius Sedi Apostolice reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus de provisione ipsa quoquomodo quavis auctoritate per quemcumque fuerit attemptatum. Actum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Junii (Pontificatus nostri) anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 324. l.)

58.

III. Miklós pápa Fülöp fermoi püspököt apostoli követül küldi Magyarországba. 1278.

1) A pápa megbizó levele.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano, Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula, disponente Domino, constituti, domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini Sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sue creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent, et sue quietis beatitudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris

tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat, et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere, licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes, Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad te, ut fortem mittamus ac fortia et tuis robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus diliberationis intuitum, et in tuarum considerationem virtutum habuntanter tibi a Domino concessarum, de

concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando, nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum sicut experientie probatione didicimus, dederit tibi Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut scias, quando debeas proferre sermonem, cum etiam in te vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus nec immerito, quod actus tuos, illo dirigente, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per tue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, te, de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum tibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellas et destruas, dissipes et dispendas, edifices et plantes in nomine Domini, sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto tibi nichilominus, ut in Regno ipso inter eundem Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status agere studeas et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem Regno Ungarie tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo solitis legatorum, qui missi de latere mare transeant, adornatus insigniis personam nostram quodammodo presentabis, de speciali gratia Apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eisdem insigniis infra predictum Ungarie Regnum dumtaxat et terras dominio eiusdem Regis subiectas, uti libere valeas, predicte legationis officium prosequendo; ita tamen, quod premissis insigniis in aliis com-

missis tibi partibus, provinciis et locis aliquatenus non utaris, et quod id, quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus et utilitatibus Regni predicti et terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentiam pretextu huiusmodi in Regno et terris eisdem propter hoc imposterum non trahatur. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus iniunctum tibi onus laboris huiusmodi pro Divina et nostra reverentia deuote suscipiens, illud sic sollicite, sic viriliter et laudabiliter iuxta datam tibi a Deo providentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, celesti favente clementia, fructus sperati prodeant, et sollicitudinis tue ministerium eam, que pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam glorie feliciter mereatur. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 327. l. Ezen oklevél rövid kivonata találtatik Fejérnél Cod. Dipl. V. k. l. r. 485. l.)

59.

2) A pápa Fülöpöt Rudolf római királynak ajánlja.

Nicolaus Episcopus, seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio R(udolpho) Regi Romanorum Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Respicimus personam, cuius obtentu scribimus, ut apud te honorificum sibi locum interventio nostra constituat; nec minus attendimus, ut in illa mentem nostram conspiciens, preces Apostolicas leta mente suscipias, gratas in armario tui pectoris locaturus. Cum itaque venerabilem fratrem nostrum, Philippum Episcopum Firmanum Apostolice Sedis Legatum ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partes, pro statu pacifico carissimi in Christo filii nostri . . .

Ungarie Regis Illustris et aliarum partium earumdem, commisso sibi plene legationis officio, duxerimus destinandum, sperantes, quod eo liberius commissa sibi negotia prosperentur, quo maioribus fuerit favoribur circumfultus: Celsitudinem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eidem Legato in hiis, pro quibus te duxerit requirendum, clementer assistens, sic te sibi benivolum verbo constituas et vultu serenum, quod ipse Regio suffultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit facilius prosperari, tuque propter hoc exinde dignis in Domino laudibus attollaris. Datum Viterbii X. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno primo.

In e. m. carissime in Christo filie Regine Romanorum Illustri.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 330. l.)

60.

3) A pápa levele IV. László magyar királyhoz.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio . . . Regi Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula disponente Domino constituti, domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini Sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature, terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regi-

mine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent, et sue quietis beatitudinem impedirent: quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent, et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat, et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus; ad ea presertim, que fidelibus populis neccessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens neccessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre consideracionis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deplo-

randa pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster, et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere: licet desideremus interdum, quod cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes, Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad venerabilem in Christo fratrem Philippum Episcopum Firmanum, ut fortem mittamus ad fortia, et ejus robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtutum habuntanter ei a Domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum, sicut experientie probatione didicimus, dederit ei Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut sciat quando debeat proferre sermonem; cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus, nec immerito, quod actus suos, illo diriginte, qui novit prava in directa, et illo adjuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue cousuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata eum, de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum, sibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et dispendat, edificet et plantet in no mine Domini sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter te et Regni personas, necnon tam ibi-

dem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status, agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca Serenitatem Regiam rogamus et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus eundem Episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi tamquam Apostolice Sedis Legato pro ipsius sedis et nostra reverentia te constituas verbo benivolum, et vultu serenum eius salubribus monitis et consiliis, ac hiis, que tibi ex parte nostra suaserit; ita efficaciter intendendo, quod Episcopus ipse Regio fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio Dei prosperari facilius, nosque tuam Celsitudinem dignis laudum preconiis proinde merito attolamus. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 329. l.)

61.

4) A pápa levele Erzsébet magyar királynéhoz.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, carissime in Christo filie . . . Regine Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula disponente Domino, constituti, domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini Sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitutinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent, et sue quietis beatitudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino Imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis

expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simultatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster, et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere: licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad venerabilem in Christo fratrem, Philippum Episcopum Firmanum, ut fortem mittamus ad fortia, et ejus robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtum habuntanter ei a Domino concessarum

de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum, sicut experientie probatione didicimus, dederit ei Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut sciat quando debeat proferre sermonem, cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus,nec immerito,quod actus suos, illo dirigente, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri: Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, eum de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum sibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status, agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem et tranquilitatem corporum pertinebunt. Quocirca Serenitatem Reginalem rogamus, et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus eundem Episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi tamquam Apostolice Sedis legato pro ipsius sedis et nostra reverentia te constituas verbo benivolam, et vultu serenam eius salubribus monitis et consiliis, ac hiis, que tibi ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod Episcopus ipse Reginali fultus auxilio in exequenda

sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio Dei prosperare facilius, nosque tuam Celsitudinem dignis laudum preconiis proinde merito attolamus. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 329. l.)

62.

5) A pápa levele a szerb királyhoz.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio ... Regi Servie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula, disponente Domino, constituti domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostro possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus opportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctiatione mixtaque confunderent et sue quietis beatitudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti de-

licto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat, et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus, et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Servie necessitates Apostolice Sedis frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius comtemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur, ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster, et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere: licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei ac Ecclesie salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes, Divina fulti potentia per eviden-

tiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad venerabilem in Christo fratrem Philippum Episcopum Firmanum, ut fortem mittamus ad fortia, et eius robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus diliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtutum habuntanter sibi a Domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando, nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum, sicut experientie probatione didicimus, dederit ei Dominus os, et sapientiam, linguamque adiecerit eruditam, ut sciat, quando debeat proferre sermonem, cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas et experientia in arduis approbata, speramus nec immerito, quod actus suos, illo dirigente, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, eum, de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum sibi legationis officio pleno commisso in eodem Regno, ac Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et dispendat, edificet et plantet in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio, velud pacis angelum destinamus, iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis, inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status, agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem ac tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca Serenitatem Regiam rogamus et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus eundem Episcopum,

quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi tamquam Apostolice Sedis Legato pro ipsius sedis et nostra reverentia te constituas verbo benivolum, et vultu serenum eius salubribus monitis et consiliis, ac hiis, que tibi ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod Episcopus ipse Regio fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio Dei prosperari facilius, nosque tuam Celsitudinem dignis laudum preconiis proinde merito attolamus. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 329. l.)

63.

6) A pápa levele Endre szlavoniai herczeghez.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Nobili viro . . . Duci Sclavonie salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula disponente Domino constituti, domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris

ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent et sue quietis beatitudinem impedirent, quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothopłasti delicto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat, et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius,qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident,vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur

zelus noster, et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere: licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit; ad venerabilem in Christo fratrem Philippum Episcopum Firmianum, ut fortem mittamus ad fortia, et ejus robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtutum habuntanter a Domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum, sicut experientie probatione didicimus, dederit ei Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut sciat, quando debeat proferre sermonem, cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus, nec immerito, quod actus suos illo diriginte, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, eum de cuius claris mer.tis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum sibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et dispendat, edificet et plantet in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos

alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus eundem Episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi tamquam Apostolice Sedis Legato pro ipsius sedis et nostra reverentia te constituas verbo benivolum et vultu serenum eius salubribus monitis et consiliis, ac hiis, que tibi ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod Episcopus ipse tuo fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio Dei prosperari facilius, nosque tuam Celsitudinem dignis laudum preconiis proinde merito attolamus. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 329. l.)

64.

7) *A pápa levele Magyarország és szomszéd vidékei clerusához.*

Nicolaus Episcepus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis et aliis Ecclesiarum Prelatis sive Rectoribus, earumque Conventibus, et Collegiis per Regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Lodomerie, Gallicie et Cumanie constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula, disponente Domino, constituti domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam, et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent, et sue quietis beatitudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino Imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrisse, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab

eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos, quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominem preparantur, quique fortium arcus superat, et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamen nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster, et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere: licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et qua mente ferimur, ibi personaliter existentes, Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad venerabilem in Christo fratrem

Philippum Episcopum Firmanum, ut fortem mittamus ad fortia, et ejus robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtutum habuntanter ei a Domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum sicut experientie probatione didicimus, dederit sibi Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut sciat quando debeat proferre sermonem, cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus nec immerito, quod actus suos, illo diriginte, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, eum de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum sibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum ac animarum salutem et tranquilitatem corporum pertinebunt. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus eumdem Episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit.

benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi tamquam Apostolice Sedis Legato, pro ipsius et nostra reverentia, intendatis humiliter et devote ipsius statuta, monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo: alioquin sententias sive penas, quas ipse rite statuerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 329. l.)

65.

8) A pápa levele Magyarországnak és szomszéd vidékeinek világi rendeihez.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris, universis Comitibus et Militibus ac populis, sive Comitatibus Civitatum, Castrorum et aliorum locorum per Regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Lodomerie, Galitie, ac Cumanie constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. In eminenti Sedis Apostolice specula, disponente Domino, constituti, domui Israel, universis videlicet Christianis, qui fidei oculis Deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur, et cum indulgetur a Divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen Domini sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam et in terris novimus oportunam. Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione Regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam

paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent, et sue quietis beatitudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter Divino Imperio subiacerent. Demum vero idem pater alissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrise, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem populum ab eterno cruciatu mortis eriperet, et redemptum suo pretioso sanguine salvaret. Nos igitur in hac terrestri patria, quatenus possimus, exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos, quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, et quid operis impendi debeat circa ipsum; ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriiter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus Deo et Apostolice Sedi devotis favorem Apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere teneamur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum; nunc tamem nobilis Regni Ungarie necessitates Apostolice Sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii, graviter solium Regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura Ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur; animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia, et alia fere in-

numera detrimenta. Quare non immerito accenditur zelus noster et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur, et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere, licet desideremus interdum, quod si cum honore Dei et Ecclesie, ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam, et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes, Divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen, quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad venerabilem in Christo fratrem Philippum Episcopum Firmanum, ut fortem mittamus ad fortia et ejus robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum, et in suarum considerationem virtutum habuntanter sibi a Domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando, nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit. Nam cum, sicut experientie probatione didicimus, dederit sibi Dominus os, et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut sciat, quando debeat proferre sermonem, cum etiam in eo vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas, et experientia in arduis approbata; speramus nec immerito, quod actus suos, illo dirigente, qui novit prava in directa, et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per sue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, eum de cuius claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum ipsum sibi legationis officio plene commisso in eodem Regno, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto sibi nichilominus, ut in Regno ipso inter Regem et Regni personas, necnon tam ibidem, quam

in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cuiuscumque conditionis, preminentie sive status agere studeat et tractare, que ad cultum Dei, Apostolice Sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status Regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca universitatem vestram rogamus et obsecramus in domino Jesu Christo, sano vobis consilio suadentes, quatenus eumdem Episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenerit, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi tamquam Apostolice Sedis Legato pro ipsius sedis et nostra reverentia intendatis, efficaciter, eiusque salubribus monitis et consiliis, in hiis que vobis ex parte nostra retulerit, sic aequiescere studeatis, quod legatus ipse vestro fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio Dei prosperari facilius, nosque devotionis vestre promptitudinem commendare merito valeamus. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 329. l.)

66.

9) III. Miklós pápa a Fülöp püspök és apostoli követ kiséretében lévő egyháziaknak megengedi, hogy követségének ideje alatt rendes jövedelmeiket húzhassák.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano, Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi legationis plene officio, pro arduis negotiis destinemus, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut clerici tui, qui tecum moram traxerint huiusmodi legatione durante, vel alibi de mandato tuo laboraverint pro negotiis tibi commissis, proventus beneficiorum, dignitatum et personatuum suorum, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos perciperent, si personaliter in Ecclesiis, in quibus dignitates, personatus et beneficia ipsa obtinent, residerent. Non obstantibus contrariis ipsarum Ecclesiarum consuetudinibus, vel statutis iuramento, confirmatione Sedis Apostolice, seu quacumque alia firmitate vallatis, aut aliquibus indulgentiis dicte sedis et generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quas non expressas presentibus, vel totaliter non insertas, earum effectus impediri valeat quomodolibet vel differri; proviso quod personatus et dignitates huiusmodi debitis non fraudeuter obsequiis, et animarum cura in eis, in quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Anno primo.

(III. Miklos pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 330. l.)

67.

10) III. Miklós pápa ugyanazon érdemben Jakab, bibornok diákonhoz.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Jacobo Sancte Marie in Via Lata Diacono Cardinali salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Philippum Firmanum Episcopum ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, sibi commisso inibi legationis plene officio, pro arduis negotiis destinemus, auctoritate eidem presentium indulgemus, ut clerici eius qui secum moram traxerint huiusmodi legatione durante, vel alibi de mandato suo laboraverint pro negotiis sibi commissis, proventus beneficiorum, dignitatum, et personatuum suorum, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos perciperent, si personaliter in Ecclesiis, in quibus dignitates, personatus et beneficia ipsa obtinent, residerent. Non obstantibus contrariis ipsarum ecclesiarum consuetudinibus, vel statutis iuramento, confirmatione Sedis Apostolice seu, quacumque alia firmitate vallatis, aut aliquibus indulgentiis dicte sedis et generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quas non expressas presentibus, vel totaliter non insertas earum effectus impediri valeat quomodolibet vel differri. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel per alium aut alios proventus huiusmodi dictis clericis facias, iuxta concessionis nostre tenorem, integre ministrari. Contradictores etc. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis, que de indulto huiusmpdi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból. Theiner id m. I. k. 330. l.)

68.

11) III. Miklós pápa Fülöp püspököt az apostoli követség teljhatalmával ruházza fel.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano, Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Prosperum statum carissimi in Christo filii nostri . . . Regis Ungarie Illustris, ac aliorum, personarum ecclesiasticarum illarum partium plenis desideriis affectantes, te, de cuius industria et circumspectione plene confidimus, ad Regnum Ungarie tibi commisso inibi, et Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galicie et Cumanie partibus, plene legationis officio, tamquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, quamplura tibi nichilominus per speciales Apostolicas litteras concedendo. Volentes igitur, ut premissi officii executio sit tibi libera, et submotis difficultatibus ac impedimentis quibuslibet expedita, tenore presentium declaramus, quod nostre intentionis et voluntatis existit, quod per predicta, que tibi specialiter sunt commissa, hiis que tibi ratione legationis competunt, in nullo penitus derogatur; sed volumus, quod hoc non obstante illa plenarie ac libere exequaris. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 330. l.)

69.

12) III. Miklós pápa Fülöp püspököt egyházi kiközösítések elrendelésére meghatalmazza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem, et Apostolicam benedictionem. Prosperum statum carissimi in Chisto filii nostri . . . Regis Ungarie illustris, ac aliorum, personarum ecclesiasticarum et secularium illarum partium plenis desideriis affectantes, te, de cuius industria et circumspectione plene confidimus, ad Regnum Ungarie tibi commisso inibi et Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galicie, et Cumanie partibus plene legationis officio, tamquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum. Ut autem in commisso tibi huiusmodi officio, Deo propitio, valeas prosperari, exercendi libere per te vel per alium seu alios censuram ecclesiasticam, in venerabiles fratres nostros Archiepiscopos et Episcopos, ac in dilectos filios Cathedralium et aliarum ecclesiasticarum domorum et monasteriorum, tam exemptorum, quam non exemptorum, Prelatos et Clericos, Conventus et Capitula, necnon Reges, Comites et Barones, et Nobiles, Potestates, Rectores, Ballivos, Consilia, Communia, Universitates et populos locorum illarum partium, et quascumque personas ecclesiasticas et seculares, publicas et privatas, cuiuscumque ordinis, conditionis vel dignitatis existant, et terras eorum legationis eiusdem, cum videris expedire, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscumque personis, locis vel ordinibus sub quavis verborum forma ab Apostolica Sede concessis, de quibus quorumque tenoribus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem et etiam concedendis, per que effectus presentium quomodolibet valeat impediri, fraternitati tue liberam concedimus au-

ctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

70.

13) A pápa Fülöpöt gyóntató atyjának szabad választására jogosítja.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Ut favorem, quo te Apostolica Sedes prosequitur, circa ea potissime, que tuam salutem respiciunt, tibi sentias profuturum, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut quandocumque et quotienscumque volueris, aliquem discretum presbiterum secularem vel religiosum in confessorem tuum possis eligere, qui audita confessione tua iniungat tibi pro commissis penitentiam salutarem et beneficium absolutionis impendat, nisi talia fuerint, propter que Sedes Apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

71.

14) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy kilencz nőnek egyszer egy évben megengedheti, miszerint illő kísérettel bármely szerzet kolostorait meglátógathassák.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Consvevit interdum Apostolica Sedes personas nobiles gratia prosequi et favore, ut Deo et eidem Sedi reddantur exinde plus devote. Propter hoc siquidem concedendi licentiam novem mulieribus, quod earum quelibet cum decenti comitiva mulierum semel in anno, durante tua legatione, possint monasteria quorumcumque ordinum eiusdem legationis, causa devotionis intrare, non obstantibus ordinum ipsorum quibuslibet contrariis constitutionibus vel statutis, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem; ita tamen quod eedem nobiles in eisdem monasteriis, que sic intraverint, cum personis monasteriorum eorundem non comedant in conventu, et in dictis monasteriis non pernoctent. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

72.

15) A pápa Fülöpnek megengedi, hogy könyveiről és egyéb ingóságairól végrendeletileg szabadon intézkedhessék.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Quia fragilitas humane conditionis nullius certitudinem status habet, et quod esse videtur, tendit potius ad non esse, tu salubri ductus consilio de libris et aliis bonis tuis mobilibus, et sese moventibus condere desideras testamentum, ut ante iudicium iustitiam tibi pares preveniendo pietatis operibus horam mortis. Tuis itaque devotis precibus inclinati, testandi, ordinandi et disponendi de libris et bonis eisdem plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

73.

16) A pápa Fülöpöt felhatalmazza, hogy az egyházból kiközösített személyeket ezen büntetés alól felmenthesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano,, Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod in terris tue legationis nonnulli per judices a Sede Apostolica delegatos et subdelegatos ab eis

sunt excommunicationum sententiis innodati, a quibus commode non possunt absolvi pro eo; quod aliqui judicum ipsorum, quibus in hoc alii non succedunt, viam sunt universe carnis ingressi; quorumdam vero copia de facili haberi non potest; aliquorum etiam iurisdictio expiravit. Nos itaque in hoc tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum excommunicatis huiusmodi providere, absolvendi tales iuxta formam Ecclesie per te vel per alium aut alios ab huiusmodi excommunicationum sententiis, prius ab eis satisfactione impensa super hiis, pro quibus in eos huiusmodi sententie sunt prolate, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

74.

17) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy kisérőinek megengedhesse, miszerint a kölönben előttük elzárt helyeket látogathassák, és néhány más egyházi szabályokat szorosan megtartani ne köteleztessenek.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Ut in commissis tibi negotiis, annuente Domino, tanto possis prosperari facilius, quanto plurimum discretarum personarum suffragio et nostre auctoritatis fueris adiectione munitus; fraternitati tue pro expediendis negotiis eisdem ad te vocandi quoscumque Predicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres tue legationis, necnon dandi illis licentiam ingrediendi tecum monasteria monialium, equitandi et vescendi carnibus, dummodo eis vel eorum alicui ad id voti emissio non obsistat,

non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis ordinum Predicatorum, sive quibuscumque privilegiis et indulgentiis Apostolicis, per que iidem vel eorum Prelati possent in hac parte quomodolibet se tueri, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Viterbii XI. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 332. l.)

75.

18) A pápa Fülöpöt rendkivüli hatalommal ruházza fel, 15 társpapjait bármely káptalanba kanonokká kinevezni.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Tuam volentes honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri, faciendi recipi XV clericos tuos per te vel per alium seu alios in totidem ecclesiis tam Cathedralibus, quam aliis tue legationis, videlicet singulos in singulis, si ad id illorum, ad quos collatio prebendarum in eisdem ecclesiis pertinet, accedat assensus, in Canonicos et in fratres, ac providendi eis de prebendis, si vacant ibidem ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, et contradictores per censuram Apostolicam, appellatione postposita, compescendi, non obstante statuto ecclesiarum ipsarum de certo Canonicorum numero, iuramento, confirmacione Sedis Apostolice, seu quacumque alia firmitate vallato, aut si direximus in eisdem ecclesiis pro aliis scripta nostra, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod ad receptionem et provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto.

huiusmodi mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 332. l.)

76.

19) A pápa Fülöpöt társpapjai feletti fegyelmi hatalommal felruházza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro arduis negotiis destinemus, in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet huiusmodi negotium prosperum consequatur effectum. Sane Apostolica Sedes nonnullis clericis secularibus tue legationis in multis se liberalem exhibuit, et benignam eis tam super provisione sibi facienda de beneficiis ecclesiasticis, quam super aliis gratiis literas apostolicas et executorias etiam concedendo. Quia vero sicut favorem devotio promeretur, sic ab indevotis favor est merito subtrahendus, privando illos ex huiusmodi clericis, quos indevotos, ingratos et inobedientes in hiis, que spectare videris ad huiusmodi legationis officium, forsan inveneris, omnibus gratiis ipsis ab eadem sede concessis, ut per litteras super hoc ad eos obtentas, aliquatenus minime procedatur, executores ipsos ad id, si necesse fuerit, per

censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theineri d. m. 1. k. 332. l.)

77.

20) A pápa Fülöpöt felhatalmazza, hogy a híveket bucsukedvezményekben részesíthesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro arduis negotiis destinemus; nos volentes, ut ecclesie illarum partium ex tua legatione commodum aliquod consequantur, presentium tibi auctoritate concedimus vere penitentibus et confessis, qui ad fabricas ecclesiarum ipsarum manum porrexerint adiutricem, decem vel viginti, triginta vel quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer valeas per triennium seu quinquennium, sicut expedire videris, relaxare. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatis nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 332. l.)

78.

21) A pápa Fülöpöt meghatalmazza, hogy társpapjait, ha netalán simoniát követnének el, a büntetés alól felmenthesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro arduis negotiis destinemus; volentes tibi aliqua concedere, per que saluti consulere valeas animarum; fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quibuslibet religiosis personis tue legationis, cuiuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis, vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt vel commiserint, legatione ipsa durante symoniacam pravitatem possis, prout expedire videris, dispensare. Non obstante constitutione concilii generalis. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiuer id. m. I. k. 333. l.)

79.

22) A pápa Fülöpnek megengedi, hogy a megürült esztergami érsekség jószágait és jövedelmeit kezelhesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad partes Ungarie, tibi commisso inibi plene legationis officio, destinemus, et Strigoniensis Ecclesia sit ad presens pastoris solatio destituta; Nos Ecclesiam ipsam preservari a dispendiis cupientes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus domos, munitiones, castra et omnes fructus, redditus ac proventus ad Archiepiscopalem Sedem Strigoniensem spectantes per te vel per alium seu alios recipiens ad manus tuas, fructus, redditus et proventus predictos ad opus futuri Archiepiscopi deponas in aliquo tuto loco, et illos una cum predictis domibus, munitionibus et castris facias cum summa diligentia custodiri, rescripturus nobis fideliter conditiones et statum Ecclesie memorate, quid de premissis receperis, dispositionis modum, et quicquid in hac parte feceris, ut discernamus apertius, quod in premissis et circa statum ipsius Ecclesie sit imposterum faciendum. Contradictores etc. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. 1. k. 333. l.)

80.

23). A pápa Fülöpnek megengedi, hogy azon vidékeket, melyekbe apostoli követül küldve van, bármikor és ismételve is szabadon látogathassa.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus, volentes ut commissa tibi negotia, submotis impedimentis quibuslibet, liberius et efficacius exequaris, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut si fueris partes illas ingressus, et ex aliqua causa rationabili vel ex improviso forsan eventu, postmodum illas egredi te forte contigerit et in vicinis partibus commorari, possis semel iterum et quotiens oportunum fuerit, reingredi ad easdem, et tam intra ipsas quam extra, prefatum officium et cetera tibi litterarum nostrarum auctoritate commissa, quantum ad negotia partium predictarum, sicut expedire videris, in omnibus exercere. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 333. l.)

81.

24) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy az őt illető provisiókat követelhesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus, in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum; fraternitati tue, ut procurationes tibi debitas, eadem legatione durante, tam in absentia, puam in presentia petere ac recipere libere valeas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 333. l.)

82.

25) A pápa Fülöpöt provisióinak tekintetében rendkivüli hatalommal felruházza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem, Cum te ad Ungarie

ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus; ut in commissis tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue compellendi quoslibet Prelatos, cuiuscumque preminentie vel dignitatis extiterint, nec non regulares Cistercienses, Premonstratenses, Cluniacenses et aliorum ordinum, Magistros quoque, Priores et fratres Sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et aliorum quorumcumque Hospitalium sive domorum, et alias ecclesiasticas personas cathedralium et aliarum ecclesiarum sive monasteriorum exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus tibi debitis, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis Apostolicis, per que in hac parte possent quomodolibet se tueri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum deberet fieri in nostris litteris mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id m. I. k. 333. l.)

83.

26) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy a követségében szükséges kiviteleket tehesse.

Nicolaus Espicopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus

in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum. Quare fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut evectiones, quot commissis tibi negotiis videris expedire, ducere libere valeas, constitutione Generalis Concilii non obstante. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 333. l.)

84

27) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy a szót nem fogadó szerzeteseket egyházi kedvezményeiktől megfoszthassa.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumarie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum, privandi quoslibet Religiosos cuiuscumque ordinis, qui super hiis, que spectant ad tue legationis officium, et aliis tibi commissis a te moniti mandatis tuis plenarie parere contempserint, omnibus indulgentiis et privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis, fraternitati tue plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestaiból, Theiner id. m. I. k. 334. l.)

85.

28) A pápa Fülöpöt bizonyos egyházi felmentésekre meghatalmazza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus: nos volentes, ut in terris et regionibus tue legationis eo amplius generosus occurras, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue absolvendi iuxta formam Ecclesie, prout expedire videris, clericos et laicos utriusque sexus ab excommunicationum sententiis, quas pro eo, quod Saracenis arma et alia prohibita detulerunt, incurrisse noscuntur, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós páka Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 334. l.)

86.

29) A pápa Fülöpöt bucsu-osztogató hatalommal felruházza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie,

Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus : nos volentes, ut spiritualium largitione munerum incolas illarum et aliarum partium, ad quas te pervenire contigerit, reddas Deo et Apostolice Sedi plus devotos, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut quotienscumque te contigerit proponere verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias, aut moniales benedicere, in magnis quoque colloquiis et congregationibus, que occasione predictorum negotiorum tam infra legationis tue fines, quam extra feceris, et in festivitatibus sollempnibus, missarum solempniis et in translationibus sanctorum, centum dies, et si aliquando in premissis, raro tamen magnus casus emerserit, unum annum et sex dies omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi propositioni, consecracioni, benedictioni et missarum solempniis interfuerint, et ad colloquia, congregationes et translationes easdem acceserint reverenter, de iniunctis eis penitentiis misericorditer valeas relaxare. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 331. l.)

87.

30) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy három, vagy négy arra alkalmatos egyént, a római egyház szókásához képest, jegyzőnek kinevezhessen.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes tibi commisso inibi plene legationis officio pro urgentibus et arduis negotiis destinemus: ut

in eisdem negotiis eo possis prosperari facilius, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue concedendi tabellionatus officium iuxta formam, quam in hoc Romana servat Ecclesia, tribus vel quatuor personis, quas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse repereris, plenam auctoritate presencium concedimus facultatem. Datum Viterbii XI. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 334. l.)

88.

31) A pápa Fülöpöt az egyházi szabálytalanságokra nézve, felmentési hatalommal felruházza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus; nos volentes, ut spiritualium largitione incolas illarum partium reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue dispensandi per te vel alium aut alios cum ecclesiarum Prelatis et personis ecclesiasticis tue legationis super irregularitate, quam contraxerunt, vel contraxerint huiusmodi legatione durante, ferendo in alios contra constitutionem Innocentii Pape predecessoris nostri super hoc editam excommunicationis sententiam sine scriptis et non abstinendo a Divinis iuxta tenorem constitutionis ipsius, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III, Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 334. l.)

98.

32) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy kisebb egyházi javadalmakat adományozhasson.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus: nos volentes tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri, providendi auctoritate nostra per te vel per alium seu alios centum personis ydoneis scientia, vita, moribus et etate, in ecclesiis tue legationis Cathedralibus et aliis de beneficiis ecclesiasticis, prebendis, personatibus et dignitatibus, cum cura et sine cura, si vacant ibidem ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, et faciendi personas ipsas in ecclesiis, in quibus eis provisum extiterit, si collegiate fuerint, in canonicos seu clericos recipi et in fratres, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante statuto ecclesiarum ipsarum de certo Canonicorum seu clericorum numero, iuramento, confirmatione Sedis Apostolice, seu quacumque alia firmitate vallato, aut si dreximus in eisdem ecclesiis pro aliis scripta nostra, quibus nullum volumus per hoc preiudicium generari, seu si est aliquibus ab eadem sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, prebendis, personatibus vel dignitatibus ad eorum collationem sive presentationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia dicte sedis indulgentia, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad ver-

bum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, aut si persone huiusmodi alias beneficiate existant, fraternitati tue liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Viterbi X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. l. k. 334. l.)

90.

33) A pápa Fülöpöt meghatalmazza, hogy bizonyos feltételezés mellett az egyháziakat a szabálytalanság alól felmenthesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus : nos volentes, ut spiritualium largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo et Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue dispensandi per te vel per alium aut alios cum personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus tue legationis super irregularitate, quam contraxerunt vel contraxerint legatione durante predicta, ex eo quod excommunicate receperunt ordines et ministrarunt in ipsis, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodate Divina officia celebrarunt, postquam ab huiusmodi sententiis rite fuerint absolute, iniuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 335. l.)

91.

34) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy kisebb egyházi javadalmak kelletlen birtokosait elmozdítván, azokat másoknak adományozhassa.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus: fraternitati tue, de qua plene confidimus, amovendi a beneficiis, personatibus et dignitatibus ecclesiasticis quoscumque in tua legatione illa inveneris minus canonice obtinere, ipsaque personis ydoneis infra numerum per alias nostras litteras tibi concessum conferendi, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 335. l.)

92.

35) A pápa Fülöpöt meghatalmazza, hogy a kiséretében lévö személyeket születésök netaláni törvénytelensége alól felmenthesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus : nos autem volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, dispensandi cum clericis tue legationis de soluto genitis et soluta defectum natalium patientibus generaliter, quod eorum quilibet huiusmodi non obstante defectu in susceptis ministrare ordinibus, promoveri ad superiores, et simplex ecclesiasticum beneficium, ducenti vero clericorum eorumdem cum cura, centum vero dignitates citra Episcopalem vel personatus, viginti vero de presbiteris et constitutis in sacris ordinibus, decem de adulterio, decem de regularibus et septem de incestuosis geniti, sine cura obtinere possint, dummodo consideratis circumstantiis universis, que circa litterarum ydonietatem personarum fuerint attendende, et illi non sint paterne incontinentie sectatores, sed bone conversationis et vite, aliasque sibi merita suffragantur, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, ad dispensationis gratiam obtinendam, prout secundum Deum animarum ipsorum saluti videris expedire, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem; proviso quod quilibet clericorum eorumdem ad ordines, prout requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem huiusmodi obtinere contigerit, statutis temporibus se faciat promoveri, et presbiter resideat in eodem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 335. l.)

93.

36) A pápa Fülöpöt az egyházi szerzetesekre nézve rendkivüli hatalommal felruházza.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes tibi commisso inibi plene legationis officio pro arduis negotiis destinemus, in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum. Quare iniungendi dilectis filiis fratribus Predicatorum, Minorum, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sancte Marie Theutonicorum, Sancti Benedicti, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani et aliorum Ordinum infra tue legationis terminos constitutis, quecumque prosecutioni officii vel utilitati negotiorum tibi commissorum videris expedire, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi non obstantibus aliquibus indulgentiis eis, quibus hec iniungenda duxeris specialiter, aut personis eorumdem ordinum generaliter ab Apostolica Sede sub quacumque forma verborum concessis, per quas super hoc in nullo se tueri valeant, et de quibus oporteret in nostris litteris plenam et expressam fieri mentionem, fraternitati tue plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. 1. k. 335. l.)

94.

37) A pápa Fülöpöt feljogosítja, hogy intézkedéseinek foganatosítását egyházi büntetések által is eszközelhesse.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galitie et Cumanie partes, tibi commisso inibi plene legationis officio, pro arduis negotiis destinemus: ut in commissis tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, fraternitati tue compellendi auctoritate nostra per te vel per alium aut alios Prelatos, cuiuscumque preminentie vel dignitatis extiterint, necnon personas quaslibet tam Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, Magistros quoque, Priores, Preceptores et fratres Hospitalis Jerosolomitani, Domus Militie Templi et quorumcumque Hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas Cathedralium et aliarum ecclesiarum sive monasteriorum exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis tuis, quos pro predictis commissis tibi negotiis destinabis, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri, et de quibus quorumcumque tenoribus totis de verbo ad verbum in nostris litteris deberet fieri mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 336. l.)

95.

38) A pápa minden egyházi főnököt felszólít, hogy Fülöpöt követségi ügyeiben segítsék.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis et aliis Ecclesiarum Prelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis religiosis et secularibus, et aliis Ecclesiarum et Monasteriorum Capitulis et Conventibus exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini ac aliorum Ordinum, necnon Magistris et Preceptoribus Militie Templi et Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani, et Beate Marie Theutonicorum, ad quos littere iste pervenirent salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Philippum Episcopum Firmanum Apostolice Sedis Legatum, pro magnis et arduis Ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictum Legatum, immo potius nos in ipso, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes eundem, sibi pro suis et familie sue necessariis et securo conductu, necnon in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, cum super hiis per ipsum vel eius nuntium fueritis requisiti, in eundo, morando et redeundo liberaliter providere curetis : et si eundem Episcopum in aliquibus locis, vel loco interdum moram trahere contigerit, volumus, quod non solum earundem, eisque vicinarum vel adiacentium partium, seu aliarum etiam, sicut eidem Legato pro huiusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire videbitur, remotarum Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Prepositi,

Archidiaconi, Archipresbiteri, Plebani et alii Ecclesiarum Prelati, eorumque vices gerentes, ac persone ecclesiastice religiose et seculares, Ecclesiarum et Monasteriorum Capitula et Conventus exempti et non exempti, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini et aliorum Ordinum, necnon Magistri et Preceptores Militie Templi, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani, Sancte Marie Theotonicorum et quorumcumque aliorum locorum ecclesiasticorum contribuere in subventionibus huiusmodi teneantur. Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis, quod possetis exinde merito commendari. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, actore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstante si aliquibus est ab eadem Sede indultum, quod Legatis vel Nuntiis Sedis ipsius aliquam procurationem exhibere, vel in ipsam contribuere, nisi ad eos declinaverunt, minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi, totoque tenore ipsius plenam et expressam non fecerint mentionem, seu aliquibus privilegiis quibuscumque personis, locis vel ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris specialis mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum quomodolibet valeat impediri. Datum Viterbii X. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. köt. 336. l.)

96.

III. Miklós pápa a magyarországi ferenczrendiek tartományfőnökének meghagya, hogy néhány szerzetbelit hittéritőknek Cumániába a tatárokhoz küldjön. 1278.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio ... Ministro Provinciali Ordinis fratrum Minorum Regni Ungarie salutem et Apostolicam benedictionem. Ex tuis et aliorum fratrum tui Ordinis claris operibus fragrantiam suavitatis assumimus, et digne speramus, quod ad hoc principaliter vestra desudet intentio, ut lucrifaciatis Christo animas verbo pariter et exemplo. Quare de te plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut fratres eiusdem Ordinis, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, de consilio aliquorum discretorum fratrum tue provincie ad Cumanos, qui ad suscipiendam fidem Catholicam dispositi esse videntur, transmittere valeas, ut eis predicent verbum Dei, tibi et per te fratribus illis, qui iam missi sunt illuc, vel quos propter hoc mitti contigerit, nichilominus concedentes, ut illos, qui ad fidem predictam converti voluerint, possint iuxta ritum, quem in talibus Romana observat Ecclesia, baptizare. Datum Viterbii Nonis Octobris. (Pontificatus nostri) anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 337. l.)

97.

III. Miklós pápa Fülöpnek meghagyja, hogy Cumaniának állapotáról neki jelentést tegyen. 1278.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano, Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Sicut dilectus filius . . . Minister Provincialis fratrum Ordinis Minorum Regni Ungarie nobis significare curavit, quod plures fratres eiusdem Ordinis inter Tartaros commorantur, qui fidem Christi gratiosis studiis annuntiantes eisdem, multos ex eis ad fidem ipsam Divina cooperante gratia converterunt. Cum autem nullus sit ibi Catholicus Episcopus, qui eosdem fratres ad sacros ordines valeat promovere, et civitas de multo posita in confinibus Tartarorum, iamdudum per predictos Tartaros destructa fuerit, nec inibi Episcopus et alii Catholici habitatores extiterint quadraginta annis et amplius iam elapsis: fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus de utilitate animarum, si Episcopus inibi, ut predicitur, esse consueverit, de proventibus ad Sedem Episcopalem spectantibus, siqui provenire possent, ne vilesceret pontificalis auctoritas; et aliis circumstantiis diligenter inquirens, quod de premissis inveneris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum Viterbii Nonis Octobris. (Pontificatus nostri) anno primo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 337. l.)

98.

I. Rudolf római-német király tudosítása a közte és Otakar cseh király közt történt ütközetről a velenczei dogehoz. 1278.

Rudolphus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus Magnifico viro domino . . . Duci Venetorum amico suo sincere dilectionis salutem cum Regie benignitatis affectu. Quantis opprobriis et probrosis injuriis indesinens Reipublice disturbator quidam O., Rex Bohemorum Illustris post pacis federa, post fidelitatis debite nobis per ipsum prestita sacramenta nos impulerit, ut ad ejus conatus nefarios reffrenandos potentie nostre brachium levaremus, omnes minores cum majoribus sepe viderunt apercius, qui conspiraciones, quas idem Rex adversus nostram salutem fecerat, insidiarum jacula, que tetenderat, laqueos, quos absconderat, non ignorant, et quoniam de Regalium successuum precordiorum nostrorum injuria credimus in gaudio redundare, sinceritati Vestre ea, que omnipotentis Dei gracia, que causas justas diligit et detestatur iniquas, in nobis et Imperio resplenduit his diebus, tenore presencium duximus declaranda. Sciat itaque Vestra providencia, quod nos feria quinta proxima post festum Bartholomei eo loco locarimus castra nostra, quod a territoriis dicti Regis Bohemie vix ad spacium dimidii milliarii theothonici distabamus, mane vero sexte ferie subsequentis una cum dilecto filio et amico nostro carissimo Illustri Rege Hungarie procedentes cunctos acierum nostrarum adjunximus stacioni hostium, sic quod hora diei quasi sexta inter nos gravis pugna committitur; in qua dictus Rex Bohemie more strenui pugilis viriliter se defendens, tandem devictus occubuit, non a nostra virtute prostratus, sed eo pocius impugnante contra Rempublicam defendente collissus. In quo eciam bello nobiles Regni Bohemie et alii, qui cum ipso Rege venerant pociores, aut mortui gladio ceciderunt, aut victo certamine, dum ad fuge presidium se converterent, ab insequentibus

sunt detenti. Verum cum et veris et certis indiciis Celsitudini nostre constet, quod non nostra sed summi Dei, salutem nostram in tanto discrimine misericorditer protegentis, potencia, triumphavit, presentem preclaram victoriam illius titulis et honori adscribimus, qui ad nostre humilitatis angustias finiendas immense sue clemencie misericordes oculos tunc misericorditer inclinavit, dum extreme necessitatis periculum imminebat. Vos igitur, amicorum sincerissime, quesumus grates Altisimo referatis et in gloriose Marie Virginis laudes, quorum presidiis vita nostra morti proxima salva substitit, et Romani Imperii Celsitudo mirabiliter incurvata respiravit, virtute mirabili Vestri cordis intima resolvatis. Datum in Castris apud Velsperg VI. Calendas Septembris, Regni nostri anno V.

(A Copia de Commemoriali czímü velenczei államkönyv I. kötetéből. 385. lev.)

99.

I. Rudolf római-német király III. Miklós pápához bold. Margit, IV. Béla magyar király leánya a szentek közzé iktatása ügyében. 1278.

Grandis adest matri Ecclesiae causa laetitiae, multa ei materia jocunditatis advenit; habet enim, unde Domino canticum novum cantet, unde inmensae laudis ymnum referat Deo suo, habet plebs catholica sonoris jubilet vocibus, et laetis animis jocundetur. De orto siquidem fidei christianae sponsa egrediens, floridae virginitatis flosculis insignita, ex Regali quoque progenie trahens originem nuper meruit aeterni Regis regale solium accensis introire lampadibus, sponsoque altissimo copulari, sancta videlicet Margaretha, incliti socii nostri et amici karissimi Regis Vngariae amita, per

quam exoratus pius opifex Jesus Christus multa miraculosa prodigia operatur in gentibus, et signis evidentibus plebem in fide corroborat et confirmat; super cujus quidem canonizatione votiva ad instantiam inclyti Regis praedicti, cujus litteras super eo recepimus, una cum ipso Paternitatem vestram piissimam humili prece deposcimus, et devota, quatenus ejusdem sanctae Margarethae Virginis, quae veluti praefulgida margarita in terris choruscat miraculis, gloriosis meritis provocati, ipsam dignemini cathalogo Sanctorum ascribere, condignis a populo per mundi climata honore et gloria venerandam.

(Bodmann J., Codex Epistolaris Rudolfo I. Rom. Regis. 102. l.)

100.

I. Rudolf római-német király III. Miklós pápának János ó-budai prépostot, ki székes-fehérvári prépostnak választatott, ajánlja 1278.

Coelesti dispensatione ipsa voce Dominica tanquam Vicarius Jesu Christi in ministerium Sacrosanctae Rom. Ecclesiae informati, alumnos ejusdem matris, et praecipuos zelatores decens est, licitum, et expediens, a Vestra Sanctitate favore prosequi speciali, et eos in gradus devotionis intendere altioris, quos perspicuis indiciis sinceritas actuum coalescente fidei unitate inter materna semper ubera feliciter conservavit. Cum itaque Illustres Reges Vngariae fidem dominicis labiis praedicatam a suis sanctis progenitoribus tenuerint fideliter et observent, et funiculos tentorii sui per amplissima vasta terrarum inter scismaticorum et gentilium ampliaverint nationes, ac novissime karissimus noster filius, et inseparabili amore nobis conjunctus, dominus Ladislaus Illustris Rex Vngariae devotione fidei et reverentia Sedis

Apostolicae progenitorum suorum in ipsa aetate tenera actus strenuos mutetur, nobisque ob reverentiam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, et nostrae invicem amicitiae puritate, qua idem velle, idem nolle mutuo profitemur, ad conterendos hostes Imperii, ab obedientia Romanae Ecclesiae superba cervice quodammodo declinantes, suam duxerit militiam magnifice largiendam: Beatitudinem Vestram duximus attentius exorandam, quatinus eundem filium nostrum et amicum, Regem Vngariae, habentes penes Sanctitatis Vestrae gremium commendatum, in petitionibus suis, praesertim in persona venerabilis viri Magistri Johannis Praepositi Budensis, Electi Albanensis Ecclesiae, ad sedem Sanctitatis Vestrae immediate spectantis, aulae ejusdem Domini Regis Vngariae Vicecancellarii, Doctoris Decretorum, favore benivolo prosequentes, munus confirmationis in tanta rerum turbine et guerra dignemini in Vngariam paternaliter delegare, cum eundem Magistrum Johannem Electum aetatis maturitas, opinionis celebritas, sanguinis et vitae nobilitas, quem ad nos praesentialiter cognovimus, et affatu attractavimus speciali, jugiter recommendent, ut in hoc nostrae petitionis et supplicationis intentio erga Vestrae Sanctitatis oraculum rerum efficacia solitae benignitatis affectu eniteat in effectum.

(Bodmann id. m. 96. l.)

101.

I. Rudolf római-német király a pápa követét László magyar királynak ajánlja. 1278.

Sanctissimus in Christo Dominus N. Summus Pontifex, pater patrum, cui universi orthodoxae fidei professores tenentur ad reverentiae promptitudinem singularem, venerabilem patrem, Episcopum N. (Philippum Firmanum) virum utique in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, tanquam imaginarium suae sanctae praesentiae pro negotiis Sanctae Matris Ecclesiae salubriter dirigendis, nec non ad fulcimentum vestri solii, et ad reparationem et reformationem status Regni Vngariae, et ad cultum ibidem Catholicae fidei ampliandum in vestrum favorem cum plenitudine potestatis duxit specialiter transmittendum. Eapropter Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, Vobis tanquam singulari filio pleno persuadentes affectu, quatenus ob ejusdem summi patris reverentiam, nostrarumque precum intuitu, eidem Legato sic favorabiliter assistatis, quod suae legationis officium ad laudem Divini nominis, Ecclesiae Romanae decus, pacificum et tranquillum Regni Vngariae statum, nec non animarum salutem valeat Divina favente gratia feliciter exercere; propter hoc enim sub vestro felici dominio Divini cultus reflorescet amoenitas, aeterna proemia redditura, Deusque felicibus vestris successibus jocunda adjiciet incrementa, et status Regni vestri per ipsius Legati ministerium in pacis et unitatis concordia exultabit.

(Bodmann id. m. 55. l.)

102.

Egy névtelennek tudósítása a Rudolf római-német, és Otakar cseh király közti ütközetről 1278.

Si scirem, vel possem, quomodo aut qualiter pro impensis mihi a vestra Sinceritate multiplicibus curialitatum et honorum insigniis condignas Vobis gratiarum actiones exsolverem, aut quomodo pro susceptis tam gratis beneficentiae vestrae dulcoribus ad vestri honoris augmentum me vestris obsequiis utiliter applicarem, ad id revera gratum et hilarem gererem animum et affectum; semper enim apparere et exercitari delectabor ex intimis in his, quae in vestri honoris et gloriae convalescere poterunt incrementum. Sane, ut status domini nostri Regis prosper et floridus se a vestra notitia non occultet, vobis duxi praesentibus intimandum, quod idem dominus noster nuper Danubium transiens contra Regem Bohemiae, qui cum paucis finales terminos Austriae subintraverat, magnifice se accinxit, volens Divino praesidio ipsum omnino conterere, aut profugum in Bohemiae partibus occupare. Praedictus siquidem Rex Bohemiae, nescio quo spiritu, vel quo ductus consilio, pauca comitatus militiae comitiva terram subiit antedictam; nam annumeratis plebeis hominibus, et bubulcis inermibus in numerum computatis, summa sui exercitus vix ad sex milia se extendit; solus autem Vngariae Rex inclytus XL milibus Vngarorum, et XVI milibus Cumanorum, domini nostri obsequiis se aptavit; qui eundem dominum nostrum, quem in patrem elegit, filiali affectione prosequens, licet allectus variis promissionibus, et sollicitatus quam pluribus blandimentis a Rege Bohemiae, ipsi, videlicet domino nostro, indissociabiliter se conjunxit, secum in omnes, quos fortuna tribuit, accinctus eventus. Sed ecce, praefati Regis meticulositas non valens latere diutius cum dominum nostrum, et Regem Vngariae castra movisse, et conjunctos esse adinvicem percepisset, statim ad dimidii

miliaris spatium retrocessit, duo castra fidelium domini nostri, quae ante progressum ejus, per inhabitatores famulos ad manus suas traditorie pervenerant, praecipiendo quantocyus demoliri. Et quibus inter vos discutite, et discutiendo cognoscite, quod praefatus Rex Bohemiae domino nostro non valens nec sperans resistere, contendit fugae praesidio se salvare.

(Bodmann id. m. 88. l.)

103.

Péter nádor bizonyságlevele, hogy Péter gróf és Oslari Madach egyszersmind rokonaik nevében is az köztök fenforgó határpert barátságosan kiegyenlítették. 1278.

Petrus Palatinus Comes Symigiensis et Judex Cumanorum omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo qui est salus omnium atque vita. Ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Petrus Comes filius Mico pro se et pro fratre suo Byter, necnon pro Mico, Alexio et Detrico ab una parte; Madach de Ozlar una cum filio suo Benedicto, pro se et pro alio filio suo Andrea, Mike pro se, pro Thobia et Wolkan fratribus suis, Philipus filius Thome pro se et pro fratribus suis Gal et Thoma ex altera coram nobis constituti proposuerunt: Quod cum super metis intermedijs inter terram ipsius Comitis Petri et fratrum suorum Vztergar uocatam, et terram predicti Madach et fratrum suorum Ozlar nuncupatam suscitata fuisset materia questionis; tandem mediante sentencia Thome Comitis, Michaelis et Demetrij Comitum, ac aliorum proborum virorum de Comitatu Neugradiensi in pacis unionem se dixerunt deuenisse, et secundum eorumdem nobilium arbitrium metas super ipsis terris erexisse, et secundum earumdem cursum par-

tes ipsas terras possidebunt, quarum metarum secundum quod partes nobis retulerunt, ordo talis est. Quod prima meta incipit in *berch*, ubi sunt quinque mete que separant a Thoma Comite; inde tendit uersus orientem directe, et uenit ad duas metas; deinde tendit ad metas antiquas, ubi cadit in uallem Melpotok uocatum (igy), et ibi separat a Thoma et Demetrio Comitibus, ubi erit commetaneus Comes Petrus; et in eodem Melpotok uocato ascendendo uenit ad arborem *tulfa* uocatam, sub qua est meta; ubi exit de Melpotok uenit ad arborem *cherfa* uersus meridiem, sub qua est meta; inde tendit ad uiam superiorem, ubi sunt due mete, et per eandem eundo uenit ad unum *berch* ad metas antiquas, et in eodem *berch*, tendens uersus occidentem uenit ad arbores *tulfa*, sub quibus sunt quatuor mete; inde uenit ad metas duas; deinde tendit sub montem *kamenahora* uocatum, ubi sunt due mete; inde tendit ad uerticem ipsius montis ad lapideam metam; deinde descendit ad arborem *tulfa* uocatam, sub qua est meta; inde uenit ad arborem *berecune* uocatam sub qua est meta; deinde uenit ad planiciem ad duas metas terreas; inde uenit ad arborem *haasfa* nuncupatam, sub qua est meta, ubi cadit ad uiam que ducit ad castrum Comitis Petri antedicti; et in ipsa uia procedens inter duas metas cadit ad uallem *potok*, ubi sunt tres mete; deinde descendens ad fluuium Rechke, ubi sunt due mete ab utraque parte ipsius fluuij, et per eundem fluuium ascendens transit castrum Comitis Petri predicti, ueniens ad (arborem) *jurkenafa* uocatam, sub quibus sunt mete, ubi cadit fluuius *kuutfeupotoka* uocatus in fluuium Rechke; et in eodem fluuio *kuutfeupotoka* ascendens parum exit de ipso ueniens ad arbores *bykfa*, sub quibus sunt due mete; inde ascendit ad montem *kechkehat* uocatam, ad arbores *tulfa* uocatas, sub quibus sunt due mete; inde per eundem tendit uersus septemtrionem ad arbores *tulfa*, sub quibus sunt due mete; et in fine ipsius montis descendens, uersus occidentem declinat, et cadit ad fluuium Kurtus, ubi est meta sub arbore *bykfa*, et lapis pro alia meta; et ibi terminatur. Obligaverunt eciam se partes spontanea uoluntate, quod quecumque ipsarum parcium decetero contra presentem ordinacionem et ereccionem metarum faceret, uel procederet, extunc pro calupmniatore haberetur. In cuius rei memoriam et perpetuam

firmitatem presentes ad peticionem parcium dedimus litteras nostro sigillo communitas. Datum anno gracie M°. CC°. septuagesimo octauo in Pesche in Dominica Judica.

(A bőrhártyán írt eredeti után, melyről a nádor pecséte függ. *Ifj. Kubinyi Ferencz.*)

104.

Miklós az esztergami káptalan előtt Byter nevű Mikó fiának bevallja és eladja a Hrichó várban (Trencsinben) volt ingóságait, s ezek árát a vevőnek tisztje veretlen ezüstben és dénárokban kifizeti. 1278.

Nos magister L. Prepositus et Capitulum Ecclesie Strigoniensis damus pro memoria, quod cum Nicolaus filius Pauli de genere Beych, frater bone memorie F. quondam Episcopi Jauriensis, seruos suos et ancillas, arma, victualia, et alia bona sua, que in Castro Herichou uocato, sicut dicit, habuerat, uendidisset Byter Comiti filio Mycou, pro septuaginta quinque marcis, prout in prioribus nostris litteris memorialibus, continetur, adueniente termino ad solvendum ipsam pecuniam assignato, videlicet octaua Beati Andree Apostoli, Comes Pouka, officialis Byter Comitis, ipsas septuaginta quinque marcas in argento communi et in denarijs secundum continenciam priorum nostrarum litterarum, prefato Nicolao filio Pauli, pro Comite Byter domino suo sol(uit ple)narie coram nobis. Datum quarto die post octauas Sancti Andree — — anno Domini. M°. CC°. LXX°. VIII°.

Jegyzet. Bőrhártyán kelt zárt levél melynek behajtott vége, azután eleje fektetvén egymásra, mind a három rétegen keresztül vont hártyakötelék már eltünt pecséttel volt lepecsételve. Hátirata ez : „Pro comite Byter super solucione septuaginta quinque marcarum.“ A kékkői levéltárban : AL. 17. *Érdy.*

105.

Venys Luka özvegye, és Symun özvegye négy gira bécsi dénárért örökre eladják a pozsonyi káptalan előtt Mikó és Márknak a velk vizén levő malomrészüket. 1278.

Vniversis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Mykolin de Ylka cum Venys relicta Luca, nunc uxore sua, et duobus filiis ipsius relicte, Luka uidelicet et Lucach; item relicta Symun similiter cum duobus filiis suis, Johanne scilicet et Andrea ab una parte; Myko uero et Mark filiis Myko ex altera, eedem domine sunt confesse, quod terciam partem molendini sui in fluuio Welk existentis, ipsam relictam Luca contingentem, et quartam partem ipsius molendini, relicte Symun prefate cedentem, pro quatuor marcis denariorum Wiennensium eisdem Myko et Mark, excepto et excluso proventu ac mercede procuratoris ipsius molendini, vendidissent in filios filiorum perpetuo possidendas, quas videlicet quatuor marcas supradicte relicte cum filiis suis ab eisdem Myko et Mark asseruerunt se coram nobis plenarie recepisse. Huic eciam vendicioni Peturke, Mychael filius Kyristfel cum Heym fratre suo, ad quos ipsa vendicio racione vicinitatis et commetaneitatis spectabat in nostri presencia comparentes consensum prebuerunt pariter et assensum. Obligauerunt eciam se ipse relicte cum filiis suis predictis, ut quicumque processu temporum ipsos racione tercie partis et quarte predicti molendini molestaret, eedem relicte cum filiis suis eosdem Myko et Mark tenerentur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M° CC° LXX° octauo.

A B C

(Finom hártya. — A még eléggé ép pecsét szinte hártyaszeleten csüng. Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 20. Nr. 11. *Knauz Nándor.)*

106.

Detrek turuli prépost bizonyságlevele, hogy János mestert, neki a királytól adományozott egy ekényi föld birtokába iktatta. 1278.

Nos Detricos Prepositus de Turul memorie commendantes significamus vniuersis, ad quorum noticiam presens scriptum pervenerit; quod ex precepto domini Regis magistro Johanni Gallico de Lypthou quandam particulam terre culture unius aratri sufficientem, terre sue confinalem, statuimus et assignauimus perpetuo possidendam. Cuius terre meta seu distinccio principalis progreditur juxta lapidem Soosd procedendo ab una quercu, et de ipsa quercu asscendit ad partem meridionalem per antiquam viam descendendo ad aliam quercum, et de illa quercu flectitur ad aquillonem veniendo ad quandam arborem dictam *zemerekfa*, de qua *zemerekfa* procedendo venit ad metas filiorum Gyan cadendo in riuulum Prehod. Et vt statucio seu assignacio huiusmodi ad preceptum domini Regis per nos facta robur optineat perpetue firmitatis presens scriptum eidem magistro Johanni tradidimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum anno Domini M° CC° septuagesimo octauo.

(IV. László király ugyanazon évi adománylevelébôl mint fenebb 55. sz. a.)

107.

IV. László király megerősíti azon adományt, melyet Ljudaföld nevű három ekényi földről Hypolit gróf fiainak 1273. tett. 1279.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam, Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono nobis in etate legitima constitutis circa festum Sancti Jacobi Apostoli cum vniuersis Prelatis Ecclesiarum, Barronibus, Nobilibus Regni nostri et Cumanis omnibus congregacionem generalem fecissemus celebrari, et omnia priuilegia seu instrumenta super possessionibus quibuscunque per nos in etate tenera constitutis collatis nobis iussissemus exhiberi, Nicolaus, Vgra, Valentinus Comites, et Magister Ipolitus, filii Comitis Ipoliti de Ilie, dilecti et fideles nostri ad nostram accedentes presenciam, exhibuerunt nobis privilegium nostrum super collacione terre Liudefolde vocate, per nos eis facta, petentes a nobis cum instancia, ut nos ipsam collacionem ratam habere et dictum priuilegium nostrum innovare, ratificare et nostro secundario priuilegio liberalitate Regia dignaremur confirmare. Cuius quidem tenor talis est:

Ladizlaus D. g. Hung. etc. Rex etc. (mint fenebb 19. l. 7. sz. a.)

Nos itaque, cui ex officio susscepti regiminis incumbit metiri merita singulorum, attendentesque ipsorum Nycolai, Vgra et Valentini Comitum, ac magistri Ipoliti, dilecti et familiaris clerici nostri grata obsequia et meritoria seruicia, quibus coram nostre Maiestatis oculis studuerunt multipliciter complacere, que presentibus longum esset per singula enarrare, quedam tamem de ipsorum seruicijs specialiter exprimamus. Cum ijdem Nicolaus, Ugra et Walentinus in exercitu nostro, quem contra Regem habuimus

Boemorum, in qua idem Rex extitit miserabiliter interemptus, strenuis actibus ut ueri milites non sine sui cruoris effusione se fortune casibus submittendo, seruicia laudabilia impenderunt. Considerantes namque ipsum priuilegium nostrum non abrasum, non cancellatum, non interiectum, (nec) in aliqua sui parte uiciatum, ymo iuste et legitime optentum, idem de uerbo ad uerbum presentibus inseri facientes, et collacionem eis rite et legitime factam, ex certa sciencia approbantes ratificantes et innouantes, auctoritate presencium confirmamus duplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus discreti viri magistri Nycolay, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Regni autem nostri anno septimo.

(Az eredeti után készült hasonmásból.)

108.

IV. László király Abraam, Bátor és Kis Bátord helységekre vonatkozó adománya, Hudus, Briccius, György és Benedek testvérek számára. 1279.

(L)adyzlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Comes Hudus, Briccius, Georgius et Benedictus fratres eiusdem, fideles nostri, possessiones Langueus filii Woyuode, cognati eorum 'sine herede decedentis, Abraam, Batur et Kyus-Baturd vocatas petiuerint a nobis sibi dari. Verum quia de qualitate possessionum earundem nobis veritas non constabat, fidelibus nostris Capi-

tulo Waradiensi nostris litteris dedimus in mandatis, vt mittat testimonium eorum ydoneum, cum quo Leuka de Zenyes homo noster dictas possessiones, conuocatis commetaneis et vicinis reambulet et statuat Comiti Hudus et suis fratribus supradictis, si non fuerit contradictum; contradictoribus autem, si qui fierent, ad nostram presenciam euocatis, et posthec diem citacionis et terminum assignatum, nomina citatorum, et vtrum eedem sint possessiones sine herede decedentis, nobis fideliter rescriberent. Quod quidem Capitulum demum nobis rescripsit in hec verba:

Excellentissimo Domino Ladyzlao Dei gracia Illustri Regi Hungarie Waradiensis Ecclesie Capitulum oraciones in Domino pias et deuotas. Serenitati vestre notum fiat, nos litteras vestras in hec verba recepisse:

Ladyzlaus Dei gracia Rex Hungarie fidelibus suis Capitulo Waradiensi salutem et graciam. Comes Hudus, Briccius, Georgius et Benedictus fratres eius, possessiones Langueus filii Woyuode, quem cognatum eorum fuisse dicunt, sine herede decedentis, sicut dicitur, Abraam, Batur et Kyus-Baturd vocatas a nobis sibi dari postularunt. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus detis testimonium vestrum ydoneum, coram quo Leuka de Zenyes homo noster dictas possessiones, conuocatis commetaneis et vicinis reambulet et statuat Comiti Hudus et suis fratribus supradictis, si non fuerit contradictum, contradictoribus, si qui fuerint, ad nostram presenciam euocatis; et post hec diem citationis et terminum assignatum, nomina citatorum et vtrum heedem sint possessiones, sine herede decedentis, nobis fideliter rescribatis. Datum in Wereuche feria tercia post Dominicam Palmarum.

Nos igitur mandato jussionis Vestre obedientes, vt debemus et tenemur, hominem nostrum virum ydoneum, Marcellum sacerdotem de Kenez ipsi homini vestro Leuka de Zenyes duximus adiungendum ad mandata vestra exequenda, qui ad nos rediens cum eodem nobis retulit, quod ipsas possessiones, Abraam scilicet, Batur et Kyus-Baturd vocatas idem homo vester sub testimonio hominis nostri conuocatis commetaneis et vicinis, nullamque vicem ipsius contradiccionis proferentibus, reambulasset et Comiti Hudus, Briccio,

Benedicto et Georgio, fratribus suis, statuisset et assignasset iuxta edicti vestri mandatum et preceptum; dixit eciam idem homo vester ipsas possessiones esse et fuisse hominis sine herede decedentis.

Nos itaque consideratis fidelitatibus et seruiciis Comitis Hudus, Briccii, Georgii et Benedicti predictorum, que iidem nobis in diuersis expedicionibus Regni nostri impenderunt fideliter et deuote; et specialiter tunc, quando eosdem in societate magistri Joachym cognati eorum contra Stephanum et Ladyzlaum filios Stephani, infideles nostros, qui ad destruendum vniuersos nobiles et populos nostros sub Banatu Regni nostri constitutos quamplures conductos Theotonicos de Styria secum adduxerant, cum eisdem miseramus pugnaturos, qui videlicet Comes Hudus et Bryccius in ipso bello, vbi dictus magister Joachinus occubuit, per conductos Theotonicos predictos fuerunt captiuati, dictus Comes Hudus amissionem sinistre manus, prefatus vero Briccius tria vulnera letalia et emutilacionem digiti dextre manus in seruicio nobis inpendendo per eosdem Theotonicos ibidem perferentes. Insuper eciam in exercitu nostro, quem contra inimicum nostrum capitalem, Regem videlicet Boemorum habebamus, in quo, eodem Rege Boemorum interempto, felicem Domino permittente victoriam sumus consecuti; prenominati Comes Hudus, Briccius, Georgius et Benedictus coram nostre Maiestatis oculis multa fidelitatis opera inpenderunt laudabiliter dimicando. Propter que omnia, licet ipsi Comes Hudus, Briccius, Georgius et Benedictus in maioribus per nostram Maiestatem forent remunerandi, in recompensacionem nichilominus fidelitatum et seruiciorum eorundem, volentes ipsis occurrere Regio cum fauore, predictas possessiones Langveus cognati eorum, Abraam, Batur et Kyus-Baturd nominatas cum omnibus vtilitatibus suis sub antiquis metis et terminis, quemadmodum easdem dictus Langveus in antea possidebat, prefatis Comiti Hudus, Briccio, Georgio et Benedicto, quibus racione cognacionis et vicinitatis, secundum Regni nostri consuetudinem ipse possessiones magis, quam alicui extraneo debebant condonari, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus, contulimus atque tradidimus perpetuo et irreuocabiliter possidendas. In cuius

12*

rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis viri magistri Nicolai Ecclesie Albensis Electi aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Regni autem nostri anno septimo.

(Robert Károly király 1325 megerősítő privilegiumából, mely a budai kir. udvari kamara levéltárában őríztetik.)

109.

IV. László király az atyja V. István által 1261-ben a dézwári vendégek részére kiadott kiváltságlevelét szóról szóra átírva megerősíti. Kelt 1279-ben.

Ladyzlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod uillicus et hospites nostri de Deeswar, ad nostram accedentes presenciam exhibuerunt nobis priuilegium domini Stephani illustris Regis Hungarie felicis recordacionis patris nostri karissimi super libertate ipsorum confectum, et petiuerunt, ut idem ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare, cuius tenor talis est:

Stephanus Dei gracia Rex, primogenitus Illustris Regis Hungarie (Lásd: István király 1261-ki okmányát Okmánytárunk III. kötetében 5. l.)

Nos igitur peticionem dictorum hospitum nostrorum in hac parte iustam esse attendentes, dictum priuilegium patris nostri ratum habuimus, et de uerbo ad uerbum presentibus inseri, duplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus venerabilis viri magistri Nycolai Albensis

Ecclesie Electi aule nostre Vice-Cancellarij dilecti et fidelis nostri, anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono, Regni autem nostri anno V°.

(III. András 1291-diki megerősítő leveléből, melynek eredetije megvan Dézs város levéltárában. *Szabó Károly.)*

110.

IV. László király Latibor és fiai, turóczi jobbágyfiak, s Demeter sárosi főispán közt Kurtus nevü földről határoz. 1279.

Ladyzlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum Latybor et filij sui, filij jobagionum nostrorum de Toruch, Demetrium Comitem de Sarus fidelem nostrum super terra Kurtus iuxta Kurtus adiacenti in Comitatu Neugradiensi exystenti, quam eidem Comiti Demetrio ob merita seruiciorum suorum in omnibus expedicionibus Regni nostri inpensorum contuleramus, in causam euocassent, et ipsa causa coram nobis fuisset ventilata, tandem quia dictam collacionem nostram ipsi Comiti Demetrio in recompensacionem seruiciorum suorum factam fuisse conperimus, que sub castro nostro Jauriensi, quod per Regem Boemorum, inimicum nostrum et persecutorem Regni nostri, rupta pace et uinculo treugarum dissoluto, occupatum fuerat, in expugnacione eiusdem castri inpenderat, nec non alijs quibuslibet locis, (et) temporibus oportunis, habita deliberacione diligenti coram omnibus Baronibus et nobilibus Regni nostri, qui ad congregacionem nostram conuenerant, quam anno Domini M° ducentesimo septuagesimo nono, vicesimo secundo die Sancti Johannis Baptiste cum

nobilibus et Comanis, ac alijs omnibus incolis Regni nostri habebamus, coram eisdem Baronibus et nobilibus Regni nostri dictam terram Kurtus cum omnibus utilitatibus et pertinencijs suis ipsi Comiti Demetrio et suis heredibus perpetuo relinquentes pacifice et quiete possidendam, et ipsam collacionem nostram prius factam innovando (duximus) corfirmandam et eosdem Latibor ac filios suos ad terram eorum propriam in Turuch existentem transmisimus ad seruicium consuetum nobis impendendum, silencium perpetuum dicto Latibor et filijs suis super repeticione dicte terre inponendo, cassatis omnibus litteris ipsius Latibor et instrumentis quouismodo impetratis et optentis, et in irritum reuocatis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti uiri magistri Nicolai, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Regni autem nostri anno septimo.

(Az eredeti után. *Czech.*)

111.

III. Miklós pápa Lodomér nagyváradi püspöknek esztergami érsekké választatását megerősíti. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Lodomerio Episcopo quondam Waradiensi, Strigoniensi Electo, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad utilem provisionem Strigoniensis Ecclesie, quam etiam totius Regni Ungarie proventura exinde, ut speratur, utilitas exigit, eo propensius pastoralis officii nos cura sollicitat, quo ad eam non solum zelus excitat et conscientia urget instantius, sed illam et instantia sue nobis non ignote necessitatis exposcit. Novimus etenim, quod electionis de dilecto filio Nicolao Preposito Transilvano dudum in eadem Ecclesia celebrate cognitio, per varia subterfugia protracta diutius, utpote felicis recordationis Gregorii Pape X. nostri predecessoris inchoata temporibus et usque ad nostra deducta, eandem Ecclesiam diutine vacationis vexavit incommodis, attrivit iniuriis, et dispendiis immensis afflixit, propter quod nos huiusmodi subterfugiis accomodis remediis iuri consonis occurentes, tandem electione ipsa de fratrum nostrorum consilio, iustitia exigente, cassata, et postulatione de venerabili fratre nostro . . . Vesprimiensi Episcopo in eadem Ecclesia celebrata, non persone vitio, cum etiam cognitum plene de ipsa non fuerit, sed propter alias facti circumstantias non admissa, ne vacatio prolixior, quam verisimilis dissensio Strigoniensis Capituli et nonnula alia minabantur, graviora eidem Ecclesie ingereret detrimenta, hac vice provisionem ipsius Ecclesie Sedi Apostolice duximus reservandam. Verumtamen ad eam aliquamdiu procedere non sine causa distulimus, ut tempore dato ad informationem recipiendam de persona ipsius Ecclesie honori et oneri congruente, quanto maturius, tanto consultius, tantoque utilius iuxta nostra desideria Ecclesie provideremus eidem. Demum autem personis variis in nostre

deliberationis scrutinium introductis, in te deliberationis ipsius exitus conquievit, et considerantes, quod sicut assertione fidedigna recepimus, vir es in consilio providus, in actibus strenuus, virtute pollens et fama, sicque in Waradiensi Ecclesia non solum fideliter, sed et utiliter ministrasti, ut super pauca fidelis, super multa constitui merearis, te a vinculo, quo eidem Waradiensi tenebaris Ecclesie, de ipsorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis duximus absolvendum, et ad dictam Strigoniensem transferentes Ecclesiam propter urgentem necessitatem, et evidentem utilitatem ipsius, te ipsi preficimus in Archiepiscopum et Pastorem, nihilominus ut ad eandem Strigoniensem Ecclesiam libere transeas, tibi licentiam concedentes. Illa sub spe Divine misericordie concepta de tua circumspectione fiducia, quod te ipsi Strigoniensi Ecclesie sic spiritualiter et temporaliter utilem exhibebis, quod illata sibi per diurnitatem vacationis dampna, Deo auxiliante, resarcies, deformata sue forme restitues, et deperdita restaurabis. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus, ei hortamur attente, per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenus onus iniunctum devote suscipiens, eandem Strigoniensem Ecclesiam in spiritualibus et temporalibus diligentie tue commissam celeriter adeas, administrationem ipsius ad salutem populi tibi commissi et tuam sic in utrisque diligenter exerceas, et ipsius exercitium diligentius prosequaris, quod de talentis tibi a Domino creditis rationem in die stricti examinis redditurus illa multiplicata duplicato fenore committenti cum fiducia representes. Datum Rome apud sanctum Petrum Idibus Junii, (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 337. l.)

112.

III. Miklós pápa ugyanerről az esztergami érsekség suffraganeusaihoz. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Suffraganeis Ecclesie Strigoniensis salutem et Apostolicam benedictionem. Ad utilem provisionem Strigoniensis Ecclesie, quam etiam totius Regni Ungarie proventura exinde, ut speratur, utilitas exigit, eo propensius pastoralis officii nos cura sollicitat, quo ad ea non solum zelus excitat et conscientia urget instantius, sed illam et instantia sue nobis non ignote necessitatis exposcit. Novimus etenim, quod electionis de dilecto filio Nicolao Preposito Transilvano dudum in eadem Ecclesia celebrate cognitio, per varia subterfugia protracta diutius, utpote felicis recordationis Gregorii Pape X. nostri predecessoris inchoata temporibus, et usque ad nostra deducta, eandem Ecclesiam diutine vacationis vexavit incomodis, attrivit iniuriis et dispendiis immensis afflixit, propter quod nos huiusmodi subterfugiis accomodis remediis iuri consonis occurentes, tandem electione ipsa de fratrum nostrorum consilio, iustitia exigente cassata, et postulatione de venerabili fratre nostro . . . Vesprimiensi Episcopo in eadem Ecclesia celebrata, non persone vitio, cum etiam cognitum plene de ipsa non fuerit, sed propter alias facti circumstantias non admissa, ne vacatio prolixior, quam verisimilis dissensio Strigoniensis Capituli et nonnula alia minabantur, graviora eidem Ecclesie ingereret detrimenta, hac vice provisionem ipsius Ecclesie Sedi Apostolice duximus reservandam. Verumtamen ad eam aliquamdiu procedere non sine causa distulimus, ut tempore dato ad informationem recipiendam de persona ipsius Ecclesie honori et oneri congruente, quanto maturius, tanto consultius, tantoque utilius iuxta nostra desideria Ecclesie provideremus eidem. Demum autem personis variis in nostre deliberationis scrutinium introductis, in ve-

nerabili fratre Lodomerio Episcopo Waradiensi Strigoniensi Electo deliberationis ipsius exitus conquievit, et considerantes, quod sicut assertione fidedigna recepimus, vir est in consilio providus; in actibus strenuus, virtute pollens et fama, sicque in Waradiensi Ecclesia non solum fideliter, sed et utiliter ministravit, ut super pauca fidelis, super multa constitui mereatur, eum a vinculo quo eidem Waradiensi tenebatur Ecclesie, de ipsorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis duximus absolvendum, et ad dictam Strigoniensem transferentes Ecclesiam, propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem ipsius, eum ipsi preficimus in Archiepiscopum et Pastorem, nichilominus ¡ut ad eandem Strigoniensem Ecclesiam libere transeat, sibi licentiam concedentes. Illa sub spe Divine misericordie concepta de sua circumspectione fiducia, quod eum ipsi Strigoniensi Ecclesie sic spiritualiter et temporaliter utilem exhibebit, quod illata sibi per diuturnitatem vacationis dampna, Deo auxiliante, resarciet, deformata sue forme restituet et deperdita instaurabit. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Electum, cum ad vos pervenerit, ilariter admittentes, ac debito prosequentes honore, sibi tamquam membra capiti devote obsequi, eiusque salubribus mandatis et monitis efficaciter intendere studeatis : ita quod vobis eidem obsequentibus, ut debetis, et ipso vobis, ut condecet, presidente, in caritate mutua ipsius et vestra Strigoniensis provincia in Domino vigeat, et in ipsius beneplacita salubriter dirigatur. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimas etc. usque observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Junii. (Pontificatus nostri) anno secundo.

In. e. m. Preposito et Capitulo Strigoniensis Ecclesie.

Ad utilem provisionem etc. instaurabis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Electum cum gratia benedictionis nostre ad ipsam Strigoniensem Ecclesiam accedentem admittentes ilariter, et eidem honorificentiam patri spirituali debitam, exhibentes, sibi tamquam Patri et Pastori animarum vestrarum impendatis obe-

dientiam et reverentiam debitam, ac eius salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis : ita quod ipse in vobis devotionis filios, ac vos consequenter in eo patrem invenisse benivolum gaudeatis. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus etc. usque observari.

In e. m. Clero Civitatis et Diocesis etc. Strigoniensis.

Ad utilem provisionem etc. instaurabis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus etc. observari.

In e. m. Populo Civitatis et Diocesis Strigoniensis.

Ad utilem provisionem etc. instaurabis. Quocirca uniiverstatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Electum cum gratia benedictionis nostrè ad ipsam Strigoniensem Ecclesiam accedentem admittentes ilariter, et eidem honorificentiam patri spirituali debitam exhibentes, sibi ac eius salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis : ita quod ipse in vobis devotionis filios, ac vos consequenter in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis.

In e. m. Vasallis Ecclesie Strigoniensis.

Ad utilem provisionem etc. instaurabis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Electum cum benedictionis nostre ad ipsam Strigoniensem ecclesiam accedentem admittentes ilariter, et eidem honorificentiam patri spirituali debitam exhibentes, sibi iuramentum fidelitatis solitum exhibere, ac de iuribus et redditibus sibi et vobis debitis respondere integre studeatis : ita quod ipse in vobis devotionis filios, ac vos consequenter in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis. Alioquin sententias sive penas, quas ipse propter hoc rite tulerit et statuerit in rebelles, ratam habebimus etc. usque observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Junii, (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 338. l.)

113.

III. Miklós pápa Fülöp püspöknek és apostoli követnek meghagyja, hogy János ó-budai prépostnak kalocsai érsekké választatását megvizsgálja, s ha azt helyesnek találja, megerősítse. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri . . . Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Detulit ad nos fidedigna relatio, quod presentia dilecti filii Magistri Johannis Prepositi Budensis in Coloccnsem Archiepiscopum concorditer, ut fertur, electi est adeo in illius partibus oportuna, quod non expedit eum ad presens exinde avocari. Considerantes itaque, quod propter eius absentiam per nos adhiberi non posset, presertim circa personam ipsius, debite in talibus discussionis examen, negotium electionis de ipso in Colocensi Ecclesia celebrate fraternitati tue deliberavimus committendum; presentium tibi tenore mandantes, quatenus de prefati electi et electionis premisse meritis plene discusso, si eam inveneris canonice de persona ydonea celebratam, ipsam auctoritate nostra confirmes, faciens eidem Electo munus consecrationis impendi, et a suis subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi; recepturus ab eo postmodum nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin eadem electione rite cassata, facias dicte Colocensi Ecclesie per eos, ad quos id pertinet, de persona ydonea ad eius regimen canonice provideri. Contradictores etc. usque compescendo. Formam autem iuramenti, quod ipse, si eius electionem contingat confirmari, prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium destinare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Junii, (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 338. l.)

114.

[II]I. Miklós pápa Lodomért, ki a nagyváradi püspökségből az [e]sztergami érsekségre emeltetett, IV. László magyar királynak ajánlja. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in [C]hristo filio Ladizlao Regi Ungarie Illustri salutem et Apo[s]tolicam benedictionem. Ad utilem provisionem Strigoniensis [E]cclesie, quam etiam totius Regni Ungarie proventura ex[i]nde, ut speratur, exigebat utilitas, eo propensius nos cura [p]astoralis sollicitavit officii, quod ad eam non solum excita[b]at zelus, et conscientia urgebat instantius, sed illam etiam [q]ue nobis non ignote necessitatis instantia exposcebat. Novi[m]us etenim, quod electionis de dilecto filio Nicolao Preposito [T]ransilvano dudum in eadem Ecclesia celebrate cognitio, [p]er varia subterfugia protracta diutius, utpote felicis recor[d]ationis Gregorii Pape X. nostri predecessoris inchoata tem[p]oribus, et usque ad nostra deducta, eandem Ecclesiam diu[t]ine vacationis vexavit incomodis, attrivit iniuriis et dispen[d]iis immensis afflixit, propter quod nos huiusmodi subterfugiis [a]ccomodis remediis iuri consonis occurrentes, tandem ele[c]tione ipsa de fratrum nostrorum consilio, iustitia exigente, [c]assata, et postulatione de venerabili fratre nostro . . . Ve[s]primiensi Episcopo in eadem Ecclesia celebrata, non per[s]one vitio, cum etiam cognitum plene de ipsa non fuerit, sed [p]ropter alias facti circumstantias non admissa, ne vacatio [p]rolixior, quam verisimilis dissensio Strigoniensis Capituli [e]t nonnulla alia minabantur, graviora eidem Ecclesie inge[r]eret detrimenta, hac vice provisionem ipsius Ecclesie Sedi [A]postolice duximus reservandam. Verumtamen ad eam ali[q]uamdiu procedere non sine causa distulimus, ut tempore [d]ato ad informationem recipiendam de persona ipsius Ec[c]lesie honori et oneri congruente, quanto maturius tanto con[s]ultius, tantoque utilius iuxta nostra desideria Ecclesie pro[v]ideremus eidem. Demum autem personis variis in nostre

deliberationis scrutinium introductis, in venerabilem fratrem Lodomerium Episcopum quondam Waradiensem, Strigoniensem Electum deliberacionis ipsius exitus conquievit, et considerantes, quod sicut assertione fidedigna recepimus, vir est in consilio providus, in actibus strenuus, virtute pollens et fama, sicque in Waradiensi Ecclesia non solum fideliter sed et utiliter ministravit, ut super pauca fidelis, super multa constitui mereretur; attendentes quoque, quod tui honoris et comodi zelator asseritur, et culmini Regio astitisse indefessa constantia predicatur, in hoc tuis et Regni eiusdem providere utilitatibus intendentes, ipsum a vinculo, quo eidem Waradiensi tenebatur Ecclesie de ipsorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis duximus absolvendum; et ad dictam Strigoniensem transferentes Ecclesiam propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem ipsius, eum ipsi preficimus in Archiepiscopum et Pastorem, nichilominus ut ad eandem Strigoniensem Ecclesiam libere transeat, sibi licentiam concedentes. Quocirca Serenitatem Regiam monemus, rogamus et hortamur attente, in remmissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus, si qua de bonis temporalibus eiusdem Strigoniensis Ecclesie in manibus tuis vel tuorum existunt, eidem Electo sine aliqua cunctatione ac diminutione restituas, et alios restituere tradita tibi potestate compellas, in manutenendis eiusdem Ecclesie iuribus sic prompte, sic favorabiliter Regalis potentie brachio futurus eundem, quod exinde a retributore bonorum omnium eterne retributionis premium, et a nobis laudis preconium et amplioris favoris cumulum merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum X. Kalendas Julii, (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból Theiner id. m. I. k. 339. l.)

115.

III. Miklós pápa Magyarország egyházi és világi lakosait felszólítja, hogy Fülöp püspöknek és apostoli követnek segítségére legyenek. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Plebanis et aliis Ecclesiarum Prelatis et Ministris, Guardianis et Custodibus, ac Capitulis et Conventibus Cisterciciensis, Sancti Benedicti, Premonstratensis, Predicatorum et fratrum minorum ac aliorum ordinum, et universo Clero, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani, Militie Templi et Sancte Marie Theutonicorum Magistris, Preceptoribus et fratribus per Regnum Ungarie constitutis, venerabili fratri nostro Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato, in officio sibi commisso fideliter assistentibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Militantis Ecclesie pater eternus próprium filium Jesum Christum, preter quod nemo aliud ponere potest, posuit fundamentum, ad cuius Ecclesie regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputari ministrum, ut eius fidem, instructionem atque doctrinam eloquio veritatis evangelice traditas cuncti renati fonte baptismatis teneant et observent. Qui enim sub hac fide laudabiliter cursus vite peregerint, salvationis gratiam merebuntur, et qui ab ipsa declinaverint, sunt dampnationis eterne sententia feriendi. Hoc itaque ministerium apostolice servitutis exposcit, hoc sollicitudo nostra requirit, et ad hoc continuis vigiliis anxiamur potissime, ut fides ipsa ubilibet servetur et vigeat, submotis quibuslibet nubibus, clare reluceat et effundat in singulos illam profitentibus libere suos radios claritatis: nec minus pro ecclesiastica libertate servanda curis cotidianis insistimus, et quietem querimus fidelium populorum, in hiis pastoralis officii debitum exolventes.

Unde non indigne de Regis Regnique vestri salute, more patris solliciti, cogitantes, ab olim intellectis tumultuosis motibus dicti Regni et seditiosis tumultibus incollarum illius qui per dissidia simultatum alterutrum dissidebant, et mutuis congressibus collidebantur immaniter, que quidem, dono pacis postposito Regale solium graviter deprimebant eiusque depresso regimine non solum in Regno ipso vastabantur bona fidelium, sed iura ecclesiarum et aliorum piorum locorum diripiebantur enormitur, et libertatem ecclesiasticam dampnabiliter conculcabant; animarum quoque subsequebantur deploranda pericula, nephanda personarum excidia, et alia fere innumera detrimenta; nos verisimiliter hesitantes, ne ex hiis fidem ipsam vacillare, libertatem eandem et iustitiam conculcari, ac errores scismaticos pullulare contingeret, licet consideraremus interdum, si concurrisset cum possibilitate decentia, nostram ibidem exhibere presentiam, ut circa hec presentialiter studia nostra versando apud Deum et patrem retributorem omnium in sic gratis et acceptis obsequiis mereremur, culmina preservaremus a fluctibus, et tam Regis quam dicti Regni populum presentialibus reficeremus affatibus et exhibitionibus spiritualium gratiarum: quia tamen id non patiebatur nostra conditio, nec emergentium undique negotiorum immensitas permittebat, venerabilem fratrem nostrum Philippum Episcopum Firmanum, Apostolice Sedis Legatum, de cuius industria, circumspectione provida et fidei puritate confidimus, ad partes illas tamquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut personam nostram Prelatis Regni ac aliis illarum partium catholicis et aliis presentaret, et que Deo placitura, dictoque Regno ad salutem profutura, et ad Christiane fidei ac Regii status fulcimenta pertinere cognosceret, auctoritate nostra munitus impleret. Utinam in hac parte nostris desideriis satisfiat! Profecto vos affectibus paternis alloquimur, et vobis nostre mentis aperimus intrinseca, ut de patris pectore colligatis, quod vestre prosperitatis commoda querimus, et in vestris successibus prosperis delectamur: devota quoque horum attentione percipiatis, quod Regie salutis zelatores existimus, nec ommittimus actus Regios dirigere precibus interdum linire commonitis, et ad Regem, cum expedit, correctionis pa-

terne virgam extendere, ac illa feriente ab eo indecentia queque prorsus excutere, ut illis expiatis munde reniteat Deo patri et nobis, filius presentetur electus, et exultent corda fidelium in lumine vultus eius, ipseque prospere procedens et regnans, tandem participationem eterne glorie mereatur: et si qua forsan ex nostris eloquiis amara colligeretis, tenere vos volumus, quod ex amoris dulcedine talis, amaritudo procedit, et finaliter ab eo grate percepta dulcescet. Licet itaque in primo ipsius Legati progressu displicuerit nobis et merito, quod sicut audivimus, Rex ipse eius reformidans adventum et ingressum forsan dubitans, illum dicebatur, quod invite referimus, impedire; cum non deceret de patre filium dubitare, nec opinari, seu debere presumere, quod Romana mater Ecclesia, que munifica singulis, non solum filios benedictionis grate complectitur, et dulcedinis lactat uberibus, verum etiam oberrantibus, ut neminem sue relinquat benignitatis expertem, potius mansuetudinis sinum pandit ad gratiam, quam in illos iudicium exerceat ultionis, in eum sev.ens, quicquam sibi nocivum transmitteret, vel Celsitudini Regie ac Regno predicto, quod in memoria nostra tenemus acceptum, quod Christi ministros producit electos et viros religione fecundos, inclitos Catholice fidei professores, et in quo degit catholicus populus, mandatorum Domini sectator eximius, peregrinationibus, penitentiis et aliis piis vacans operibus, prout in pluribus experimur, fomenta negaret propinare salutis: tamen resumpsimus in mente letitiam, gratanter audito, quod Regia Celsitudo postmodum ingressu dicti Legati percepto, se ipsius inductionibus et salutaribus monitis Regali mansuetudine conformavit, et animum suum ad omnipotentem Dominum, ut videbatur, devote convertens, dicta sibi per eundem Legatum tam super observatione fidei ac decretorum et consuetudinum progenitorum suorum, et conservatione libertatis ecclesiastice, quam hereticorum expulsione de Regno predicto, servare, ac in terris suis servari facere, super altare, tactis evangeliis, promisit, quodque ipsius Legati monita super liberatione Christianorum, quos Cumani et alii pagani sub servitute tenebant, benigne recolligens, quod Christianos a Cumanorum obsequiis retraheret, quod compelleret Cumanos ad habitandum

in domibus solo fixis, et ex eis baptizatos potissime ad destructionem cogeret ydolorum; nullum etiam infidelem, vel quem sciret excommunicatione ligatum, in Officialem Regium vel familiarem admitteret, quod tam in se quam in illis de Regno dicto, dimisso paganorum abusu, resumeret Christianorum habitum, tam in vestibus, quam capillis, Cumanos insuper restituere monasteria et ecclesias occupata per ipsos, ac apostatas dicti Regni ad ordines redire compelleret, cum ab eorum Prelatis existeret requisitus, et quedam alia directionem Regni et salutem continentia status Regii, coram ligno crucis solempniter in Altari primo, et iterum Regia fide data Ungarico more iuravit. Et dum expectaretur, quod in huiusmodi proposito salutari concresceret, predicta sic premissa pluries et iurata per Celsitudinem Regiam non fuerunt, prohdolor, ut sperabatur, impleta, quamquam Cumanorum nuntii certos recepissent et appobassent articulos, uno excepto, videlicet de barbis radendis et crinibus breviandis, ad quod Rege, Prelatis et Baronibus Regni predicti eundem Legatum inducentibus, Celsitudo Regia eidem Legato, quod cetera alia servari faceret, promisit, Coronam et Regnum suum propter hoc specialiter obligando. Et postmodum pro eo, quod Celsitudo Regia premissa, que promiserat et iuraverat, ut predicitur, adimplere distulerat, se graviter deliquisse humili spiritu recognoscens, iterum cum obligatione simili per manum dextram Regia fide data, Ungarico more, similiter, et denuo se excommunicatum, et Regnum suum propter hoc iuste interdicto fuisse suppositum recognoscens, tactis sacrosanctis evangeliis iuravit, et renuntiando appellationibus, exemptionibus et impugnationibus quibuslibet; promisit etiam implere per omnia supradicta: sed nec hiis, non sine nota Regii nominis, prout decuit, observatis, miramur et mirando Celsitudini Regie compatimur et compaciendo dolemus, quod se famam Regalis nominis reprehensive inconstantie in Principe maxime lacerari remorsibus negligente, ac in vetita totiens non sine Dei offensa et inconstantia notabili relabente, predicta sic per se iurata totiens, et premissa et obligationibus roborata, ne dicamus, contempta reperiuntur omissa. Et demum audito, quod Celsitudo Regia se improvide appellationis refugio, immo potius diffugio commiserat, et pretextu appel-

lationis huiusmodi, quasi baculo harundineo incautus inherens, non solum Legato non parebat eidem, sed se ipsum, necnon et alios ab eius Prelatorum sibi adherentium obedientia non absque note macula, interdum comminationibus, inductionibus, interdum penarum inflictionibus retrahebat: in eo potissime tanto graviori dolore perpungimur et anxiamur angustia, quanto incautius super hiis Regem se ipsum, animam et Regnum sua dicitur involuisse, unde progredi videtur in devium, et nisi resiliat, in ruinam. Nos itaque more pastoris de commisso nobis grege dominico, et salute Regia iuxta officii nostri debitum, ne videamur in eo ac Regno predicto negligere, quod in Catholicis Christianis amamus, sedulo cogitantes, ac licet nondum ad nos ex parte sua super prosecutione appellationis huiusmodi nuncii seu procuratores sui venerint, premissis absque intermissione temporis occurrentes, Celsitudinem Regiam, ne sub talibus nubibus cespitando precipitetur pastoris ministerio non auditus, ad suam et Regni sui salutem sub spe summi patris, promptis adhibitis studiis prevenimus. Attendat igitur se ipsum, et videat, quod dicitur, dum auditur, quod Regalis domus Ungarica, que consuevit athletas Christi contra infideles producere, ac insurgere ad reprimendam astutiam barbarorum, et que viros enutrivit electos, catholice fidei professores, Deum et matrem Ecclesiam reverentes, cultores iustitie, religionis Christiane servitores precipuos, et piorum operum sedulos sectatores, tali et tanto, quod ex premissis colligitur, nefando contagio maculetur: attendat, quod in presenti negotio agitur causa Christi, a quo non est appellationibus divertendum; nam ipse scrutator cordium iudicat illas Deus. Quibus allegationibus se muniet, dum, ut dicitur, iuramentorum et tot promissionum violator, maxime contra fidem, libertatem ecclesiasticam, in notoriis, insuper in eo etiam, quod est tempore periturum, contra renuntiationem suam ac salutem propriam, sub pallio talis appellationis inobediens coram Christi Vicario presentatus. Respuunt interdum in talibus appellationes, nedum Divina, sed humana iudicia. Quibus se poterit apud iustum iudicem excusare suffragiis, dum salutem suam et Regalis nominis famam postposuisse sic dicitur; et patitur, quod sub suo pretextu in Regno sic catholico, unde

conscripta sanctorum merita colit Ecclesia, et fluctuet fides Christi? quibus defensionibus poterit coram illo subsistere, qui patiens et humilis miseretur et comodat, et tandem provocatus ad iram, mucrone dure sententie ferit et deprimit obsistentes? Absit, quod Celsitudo Regia talibus contractetur insultibus. Absit, quod tantum Principem et sic electum Regnum, sicque copiosam fidelium multitudinem periclitari nostro tempore videamus. O quanta producimus et quam amara suspiria, dum Celsitudinem Regiam ac dictum Regnum sic nobis cara, tantis videmus subiacere periculis! O quam profunde distrahimur, dum astutias infidelium, subtilius cogitamus, et quanto languore diffundimur, dum timemus nequitiam sitientium Christiani populi collidere veritatem: nam ipsi scismatici, cum Celsitudine Regia barbarico more luctantes, eidem se ipsos seditiosa calliditate subiciunt, ut tandem sibi subiiciant eius nominis claritatem. Ad que Divinam clementiam orationum suffragiis humiliter imploramus, ut dignetur ab oculis suis omnem nubem excutere, per quam posset in Celsitudine Regia superioris luminis beneficium impediri, ut exclusa tenebrarum caligine, quid sit et ubi, quid agat, quidve suis mereatur actibus, tam exteriori lumine contempletur, et nichilominus illius vices gerentes in terris, qui pro ove perdita ad flagella duci, clavis affigi, et tandem mortem subire voluit, ut mortem nostram moriendo redimeret, et quas prothoplasti delicto meruimus, miserias tolleret infernales: nos et fratres iidem non solum in hiis adhibere, que videbuntur oportuna remedia, sed nos ipsos etiam, prout tenemur, pro conservatione catholice fidei, si expedierit, exhibere proponimus, ut Regis et Regni prefati salutem, etiam si oportuerit, non solum spiritualibus, sed temporalibus correctionibus procuremus. Et licet speremus in bonorum omnium directore, quod ipse Celsitudinem Regiam reducet ad gratiam et diriget per suorum semitam mandatorum: si tamen, quod absit, in presenti varietate callesceret, firma fide tenemus, quod nobis aderit ipse propitius, et sua potentiâ prevalebit: digne quoque confidimus, sic vos ad Deum et matrem Ecclesiam sincera devotione fervere, et in Divinis beneplacitis radicatos, quod non solum Regem ipsum in talibus non foveretis flagiiis, sed zelo fidei et fervore Christiane religionis accensi, po-

tius in eius actus reprobandos insurgeretis pro conservanda gloria redemptoris; quod nos et dicti fratres oblata et Deo accepta gaudia, cum efficaci et devota Regali promptitudine de suis actibus, dante Domino, velociter colligamus: ipse quoque pius pater sibi placatus arrideat, solium et Regnum predicta solidet, dirigat et reformet, ac Celsitudinem Regiam dictumque Regnum ubertate fecundet, Rexque ipse progenitorum suorum sequens clara vestigia, quolibet nubilo fugato reluceat, et plene percipiens nominis Divini fragrantiam, et efficacius ad amorem eius allectus, ad dona celestis gratie valeat tamquam benedictionis filius pervenire, nec cogamur, quod faceremus invite, circa hec alia remedia cogitare. Verum quia sensibus nostris est illa sollicitudo continua, ut quantumcumque cetera orbis terre negotia, que nobis incumbunt ex Apostolice servitutis officio, diversimodo nostrum animum distrahant, specialiter ad dictum Regem ac vos et statum vestrum mentis intima convertamus, et dum tantum Regnum et sic devotum populum fluctuare conspicimus, nequimus nobis requiem indulgere, cum talibus fluctibus principaliter fluctuemus. Et tandem post cogitatus varios et emissa suspiria ad Deum patrem spem nostram reducimus, et in vobis non indigne quiescimus, quos sentimus sincera devotione fervere, sperantes, quod nobis et vobis, patre patrum assistente propositis, tempora prosperitatis advenient, et augebuntur ad laudem sui nominis dies boni. Assumat itaque vestra devotio constantie spiritum, et singulorum animis robur virtutis adiciat, ne quibusvis anfractibus, inibi fides Catholica delitescat, sed vobis assistentibus dicto Legato et offirmantibus de bono in melius actus vestros, fides ipsa, fugatis scismaticis, gloriosius dilatetur. Super eo vero, quod dicto Legato laudabiliter et fideliter astitistis, puritatis vestre constantiam, devotionem perfectam, quam ad Deum geritis, et perfectionem, qua fidem ipsam excolitis, digne percipimus, et illas multipliciter in Deo commendantes, speramus, quod bonorum omnium retributor studia vestra oculo benigno respiciens, hec et alia, que ipso inspirante feceritis, vobis munificentie sue gratia multiplicatis manipulis conpensabit. Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Idus Decembris, (Pontificatus nostri) anno secundo.

In e. m. dilectis filiis nobilibus viris Ducibus, Marchionibus, Comitibus et Baronibus ac uviverso populo, Christi fidelibus per Regnum Ungarie constitutis, venerabili fratri nostro Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato in commisso sibi officio fideliter assistentibus. Militantis etc. ut in proxima, verbis competenter mutatis, usque in finem.

III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 344. l. A pápa ugyan azon tárgyban IV. László királyhoz írt levelét lásd Fejérnél Cod. Dipl. V. köt. 2. r. 572. l. és Theinernél id. m. I. k. 341. l.)

116.

III. Miklós pápa Fülöp püspököt apostoli követségében erélyes eljárásra serkenti. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano Apostolice Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem. Tue devotionis et fidei claritas lucidis patet operibus, accepta Deo et humanis laudibus attollenda. Sentimus enim, quod exaltationem catholice fidei plenis affectibus diligis, et eius existis promotor sollicitus, non variabili mutatione rerum et temporum, nec aliquo nubilo turbinis in virum alterum permutandus, propter quod preter Divine retributionis premium, Apostolice Sedis favorem, et gratiam per ipsorum operum evidentiam meruisti. Unde ab olim non immerito de tue puritatis constantia confidentes, ac de salute ... Regis et Regni Ungarie sedulo cogitantes, dudum intellectis tumultuosis motibus ipsius Regni et seditiosis tumultibus incolarum illius stb. (mint fenebb 58. sz. a.) remedia cogitare. Quocirca fraternitatem tuam presentibus excitamus, quatenus tamquam vir magnanimus audaciam et vigorem assumens, nulliusque timoris vel periculi consideratione, vel sub colore appellationis

frivole interposite vel interponende lentescens, commissis tibi negotiis prudenter insistas, et illa in hiis maxime, que exaltationem catholice fidei, conservationem libertatis ecclesiastice, salubrem statum Regis et Regni predictorum respiciant, sub illius spe ac ducatu viriliter persequaris, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, et sub observantia mandatorum eius in stadio huius vite currentibus bravium glorie repromittit. Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 344. l.)

117.

III. Miklós pápa Károlyt sziczíliai, és Rudolfot római-német királyokat felszólítja, hogy IV. Lászlót magyar királyt arra bírják, mikép a pápai követ tanácsainak engedjen. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio nostro C(arolo) Regi Sicilie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. In virtutem et decorem catholice fidei constitute censentur a Domino persone potentia predite, ac illustri prosapia prepollentes, que dum illam fulciunt, et se operosos exhibent in illius dilatione ministros, fama crescunt et meritis : sicque ipsis deperit et ponitur in eorum gloria macula, cum eadem fides vim patitur, vel infidelium morsibus lacescitur. Hoc quidem ministerium Apostolice servitutis etc. (mint fönnebb 115. sz. a.). Licet autem nos et fratres eosdem ad ea, que ipsius Regis incrementa respiciant, vehementer inducat matrimonialis inter ipsum et carissimam in Christo filiam nostram . . . Reginam Ungarie Illustrem, natam tuam, subsecuta coniunctio : et ipsum Regem, dum tamen a predictis innoxium representet nostris obtutibus cariorem, et ex hoc magis suis compatiendo casibus ruinam suam sen-

tiamus inviti: in predictis tamen contra Deum, salutem suam, fidem eandem et ecclesiasticam libertatem sibi nec favere possumus, nec deferre, quando potius in eo zelamur ardentius: ne, quod absit, in protervitate sua remanens Rex incautus de orthodoxa consorte generet pater devios filios patrissantes, et felix mater ex genere filios sibi dissimiles sentiat infelices. Te igitur eiusdem fidei fervidum zelatorem tanti boni participem esse volentes ac sperantes, quod predictus Rex Ungarie tuis preclaris studiis ad viam salutis facilius reducatur, Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus pericula, que possent ex premissis emergere, diligenter attendens, nec minus compatiens Regi et Regno predictis, ad Regem predictum litteras et nuntios propter hoc dirigas, eum Regalibus inductionibus inducendo, quod dicto Legato, immo nobis in ipso potius acquiescat. Et ut idem Rex fervorem devotionis, quo Deum patrem, fidem catholicam veluti eius cultor et athleta precipuus inter alios orbis terre Catholicos Principes revereris, clare percipiat et sentiat apertius, quibus in talibus utinam non erroribus a Christi fidelibus substentetur, prenuncies eidem, quod si, quod absit, sic inobediens remaneret, nedum quod non posset de tuo favore confidere, verum etiam ad resistendum contra ipsum cum aliis Catholicis mundi Principibus, pro fidei predicte ac libertatis eccles'astice observatione, te christiane religionis debitum cohartaret, cum non sit deferendum homini contra Deum. Premissa, fili carissime, sicut de tua clara devotione confidimus, eorum qualitate pensata, taliter impleturus, quod per hoc Deo patri et nobis digne complaceas, et preter Divine retributionis premium, humane laudis preconium merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Idus Decembris. (Pontificatus nostri) anno secundo.

In e. m. carissimo in Christo filio R. Regni Romanorum.

(III. Miklós pápa Regestáiból. Theiner id m. I. k. 345. l.)

118.

III. Miklós pápának Erzsébet magyar királynéhoz intezett biztató levele. 1279.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissime in Christo filie . . . Regine Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Paterna domus tua celestis gratie rore perfusa Catholicos Principes, offerentes Domino in devotionis spiritu vota sua, laudabili successione produxit, in quibus timorem superni nominis et amorem sic Divina providentia radicavit, quod eorum cogitatus et opera beneplacitis eterni patris promptis et continuis studiis adheserunt. Nimirum itaque, filia, si de innata tibi sinceritate confidimus et gaudemus in Domino, dum te puritatis constantiam, qua Deum patrem humili spiritu revereris, grata perceptione sentimus et audimus, quod in te animum virilem observans pro fidei claritate servanda et libertatis ecclesiastice conservatione in Dei beneplacito radicata persistis, et assistis prosequentibus causam Christi, nec minus erroribus virtuosa resistis posita inter extraneas nationes. Sicque digne speramus, quod germines sicut propago fructifera in domo Domini fructus bonos, nec immerito nos turbaret anxietas, si quicquam nubili contagiosum insurgeret, quod tuam quovis modo puritatem inficeret, vel obtenebraret in te luminis claritatem de domo catholica refulgentem. Circumda te igitur varietate virtutum, quibus te Dominus in suo beneplacito tamquam preclaro devotionis filiam insignivit, et Regales gestus, quorum generis prosapia Regii dote nature te participem statuit, observans, illi totaliter te conformes, ut in Regis Regum introduci cellaria, et in superni quiescere mansionibus merearis : nosque de tuis actibus fragrantiam percipientes odoris, Deo salutari nostro laudes et gratias referamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Idus Decembris. (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 345. l.)

119.

Fülöp fermói püspök és apostoli követ átírja II. Endre magyar királynak 1211-ki okmányát, melylyel az erdélyi barczaságot a német rendnek adományozta. 1279.

Universis presentes litteras inspecturis Phillippus miseratione Diuina Firmianus Episcopus, Apostolice Sedis Legatus salutem in Domino. Tenorem cuiusdam scripture, sicut in quodam quaterno contineri perspeximus, sic de verbo ad verbum fecimus presentibus annotari. Qui talis est :

In nomine Sancte Trinitatis et Individue Unitatis. Andreas D. g. Hungarie stb. Rex stb. (következik II. Endre király 1211-ki okmánya mint Fejérnél, Cod. Dipl. III. k. 1. r. 106. l.)

(A német rendnek porosz-königsbergi levéltárából Schuller J. K. Archiv für die Kenntniss von Siebenbürgens Vorzeit und Gegenwart I. köt. N. Szeben 1841. 214. l.)

120.

Máté nádor itéletlevele, melynél fogva Fuki Simon és testvérei Alberthi Devecser grófot Miklós testvérök gyilkoltatásában ártatlannak ismerik el. 1279.

Nos M. Palatinus Comes Supruniensis et Judex Cumanorum memorie commendantes significamus, quod causam, quam in octauis Sancti Jacobi Apostoli Symun filius Gregorij, Bacha, Petke, Vsoth et alij cognati eiusdem Symun de Fuk, et in alijs locis existentes, contra Comitem Dewecher de Alberth super facto mortis Nycolay fratris Symun prenotati mouere intendebant coram nobis, quia ijdem Symun et sui cognati supradicti ipsum Comitem Dewecher expertem et immunem sciuerunt et cognouerunt in morte Nycolay supradicti, ipsum Comitem Dewecher, coram nobis personaliter comparendo, super facto mortis prenotate prout eisdem ueraciter constitit, reddiderunt expertem et immunem ac per omnia expeditum; obligando se taliter, ut si processu temporum questionem aliquam super morte sepe nominata contra ipsum Comitem Dewecher vel suos successores mouere attemptarent, sine strepitu cuiuslibet iudicij pro calumpniacione haberentur. Assumpserunt eciam ijdem Symun, Bacha et alij sui cognati supradicti, ipsi Comiti Dewecher tercio die festiuitatis Sancti Regis nostras litteras patentes super morte prenotata concessas, litteris Cruciferorum de Alba confirmari, quas si die assumpto non intenderent dare et confirmare, iudicio decem marcarum subiacerent; nos autem tanquam iudicem, et nostrum pristaldum, Symun et sui cognati placare tenebuntur. Datum super Veterem Budam sexto die termini prenotati, anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono.

(A sz. fehérvári keresztesek konventje átiratából *Érdy.*)

121.

A csazmai káptalan végrehajtja Miklós szlavóniai bán azon itéletét, melyben idősb Belus özvegyének és ifju Belus mostohájának hitbérét és ékszereit kiadatni rendeli. 1279.

Nos Capitulum Chazmensis Ecclesie vniuersis Christi fidelibus presencium per tenorem intimamus, quod Comes Stephanus filius Belus vice et nomine Belus filij Belus fratris sui a parte vna, et Comes Mohor ab altera, ad nostram in festo Purificacionis Beate Virginis personaliter accedentes presenciam, exhibuerunt nobis litteras domini Nicolay Bani tocius Sclauonïe, in quibus exponebatur, quod dictus Belus filius Belus racione dotis nouerce sue, filie Apą Bani, sororis videlicet ipsius Comitis Mohor, quam idem ex permissione ipsius domine supra dictum Belus requirebat, daret et solueret in die Cinerum viginti marcas coram nobis. Continebatur eciam in hijsdem litteris Bani, vt eodem die et termino idem Comes Stephanus cum prefato Belus super eo, quod Comes Belus, maritus dicte domine, duo monilia aurea eiusdem domine pro suis negocijs nominatim non expositis prestare debeat sacramentum. Qui quidem Comes Mohor licet coram nobis personaliter astans protestatus fuerit, vt predicte uiginti marce eidem domine per Belus prefatum ex integro date sint et solute; tamen nos, prout expediebat, in argumentum iusticie euidencioris, et cautele amplioris, nostrum hominem, videlicet Thomam sacerdotem chori nostri ad requirendam eandem dominam duximus transmittendum; qui homo noster postmodum ad nos reuersus dixit, quod predicta domina per ipsum super facto premisse solucionis requisita responderit et publice fuerit confessa; ut sibi per dictum Belus priuignum suum super dote sua, predictis uiginti marcis ab eodem ex integro receptis, per omnia et in omnibus fuisset satisfactum, et quod idem Belus super facto duorum monilium, pro quibus, vt premisimus, cum dicto Co-

mite Stephano iurare debuit, satisfaccionem sibi congruam et condignam exhibuisset, et per omnia super premissis fuerit expeditus. In cuius facti memoriam pleniorem et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio conmunitas. Datum sabbato post festum Purificacionis Beate Virginis supradictum, anno Domini millesimo CC°. LXX°. nono.

Jegyzet. Elhalványúlt irású bőrhártya, melynek alúl fölhajtott hártya hasadékaiból fehér és zöld selyemről azon kerek pecsét függ, mely utóbb más modorú pecséttel cserélte tett föl. A kékkői levéltárban : Fasc. A. n. 4. *Érdy.*

122.

A győri káptalan Gyarmat nevü birtokra vonatkozó 1271. bevallási bizonyságlevelét átírja. 1279.

Magister Karachinus Prepositus et Capitulum Jauriensis Ecclesie omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire : Quod vir nobilis magister Alexander filius Comitis Farcasii de Puk ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis memoriales litteras nostras sub minori sigillo Ecclesie nostre, quo sigillo antequam Teutonici ecclesiam nostram in puerilibus annis domini nostri Ladislai Dei gracia Illustris Regis Hungarie hostiliter in guerra Regis Bohemie inuasissent et captam detinuissent, vtebamur, super possessione Gyarmath vocata confectas, petentes a nobis humiliter, ut easdem litteras dignaremur renouare et munimine nostri noui sigilli roborare. Quarum tenor talis est :

Nos Magister Chepanus Prepositus et Capitulum Jauriensis Ecclesie stb. (következik a győri káptalannak 1271-ki okmánya, mely olvasható Okmánytárunk III. kötetében 265. l.)

Igitur nos receptis ipsis litteris et plenius perlectis, easdem tum ex forma sigilli nostri prioris, tum eciam de modo dictandi, quem tenebamus, et maxime per relacionem seu recitacionem quorumdam fratrum nostrorum tunc temporis in ordinacione et composicione in facto possessionis personaliter existencium, et hujusmodi contractum memorialiter retinencium nostras litteras legittime confectas esse recognoscentes, predictum eciam Ughud, occasione cujus priuilegium nostrum tunc temporis non fuit concessum, carnis debitum in puerilibus annis exsoluisse scientes, predictas litteras nostras de verbo ad verbum rescribi faciendo presentibus inseri fecimus et patrocinio nostri noui sigilli communiri. Datum anno Domini 1279. Abraam Cantore, Hectore Lectore, Myko Custode Ecclesie nostre existentibus.

(Kaprinay kézirati gyüjteményéből 4. B. I. köt. 31 32. ll. Az okmány kivonatát lásd Fejérnél Cod. Dipl. V. köt. 2. r. 592. l.)

123.

Jakab, János és Endre gróf Jakab fiai 20 márka ezüstön eladják a pozsonyi káptalan előtt Mátyás és Zolad pozsonyi várjobbágyoknak Pozsonyban levő szabad telküket és széplaki szőlejüket. 1279.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Mathia et Zolad filiis Herchel de Werekne, jobagionibus Castri Posoniensis ab una parte; Jacobo, Johanne et Andrea filiis Comitis Jacobi filii Woynus de Suur, ab altera; iidem Jacobus, Johannes et Andreas

predicti sunt confessi, quod fundum curie sue, quem habent in ciuitate Posoniensi, cum cellario et aliis omnibus edificiis super eundem fundum existentibus, et vineam suam desertam sitam inter vineas Ecclesie nostre in montibus ville Zeplok, quam inmediate circumdant a parte utraque due uie, vendidissent eisdem Mathie et Zolad pro viginti marcis finiti (így) argenti perpetuo possidendas, quas quidem viginti marcas finiti argenti asseruerunt coram nobis a predictis Mathia et Zalad se plenarie recepisse; obligantes se, quod quicunque processu temporum eundem fundum curie et vineam antedictam uoluerit in irritum reuocare, ipsi, videlicet Jacobus, Johannes et Andreas supradicti tenebuntur eos expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in festo Beati Andree Apostoli. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

A B C

(Hártya. A még ép pecsét veresfehér selymen függ. Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 1. Nro. 6. Ezen villa Zeplok [Széplak] alatt a mai pozsonykülvárosi úgynevezett *Magyar-utcsát* [Schöndorffer Gasse] kell érteni. *Knauz.*)

124.

György Simon fia a Szathmár megyei Mok részbirtokát, Mihálynak és örököseinek a váradi káptalan előtt bevallja. 1279.

(C)apitulum Waradiensis Ecclesie omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in uero salutari. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum tenore presencium volumus peruenire; quod magister, Stephanus filius Comitis Micaelis filij Vbul, personaliter pro se et ipso patre suo, ac fratribus suis, Petro scilicet et Paulo, sicut dixit, ex una parte; Georgius filius Symonis ex altera ad nostram accedentes presenciam, idem Georgius personaliter coram nobis constitutus, uiua uoce, sana mente, spontaneaque voluntate est confessus, quod porcionem in quadam terra sua hereditaria Mok uocata, in Comitatu de Zathmar existente ipsum contingentem, que porcio. Deusteluke apellatur, sitam iuxta terram Comitis Mycaelis filij Vbul memorati; et uicinam Neugrad uocatam, cum omnibus suis utilitatibus, pratis scilicet et stagnis, ac pertinencijs vniuersis, dedisse, tradidisse et donasse, dicto Comiti Micaheli, et per ipsum suis heredibus, heredumque successoribus, inrevocabiliter, perpetuo possidendam et habendam pleno iure. Item quamdam particulam in eadem terra Mok, quam Marcello vendiderat similiter, dixit ipsi Comiti Mycaeli et filiis suis, ac omni posteritati sue perpetuo pacifice possidendam, pro eo, quod Comes Michael et filii sui prenominati questionem viginti marcarum ipsi supradicto Georgio dimisissent. Et insuper quartam dimidiam marcam (pro) predictarum terre particularum perpetuacione eidem Georgio persolverunt coram nobis; quarum particularum mete sic ordinantur, sicut partes ipse retulerunt. A parte septemtrionis scilicet iuxta quarumdam spinarum circulum est una meta terrea; de hinc accedit ad fluvium Zomus, et iuxta ipsum fluvium, parciendo uidelicet ipsum fluvium, uergit uersus orientem; et post se-

perando (igy) se a dicto fluuio uersus meridiem uenit ad unam arborem piri curuam, ubi est meta terrea; dehinc adhuc uersus meridiem procedendo uadit ad unum maximum pratum per metas terreas consignatas, ubi sunt quedam arbores salicis; et dehinc per medium ipsius maximi prati procedendo uersus occidentem, iungit se ad terram Neugrad prefatam iterato, ubi mete dictarum particularum terminantur. Obligans se Georgius memoratus coram nobis, super preuia particula terre Deusteluke uocata ab omnibus, qui aliquam questionom super premissa particula terre contra Comitem Mycaelem uel filios suos seu quoslibet successores, suscitare niterentur, defendere ac expedire. Super autem alia particula, quam Marcello uendiderat, assumsit eodem modo sepe dictum Comitem Mycaelem et suos successores a quolibet pro ipsa particula quamcunque questionem mouere intendente et uolente, expediturum; Marcello, cui ipsa particula uendita fuerat, et filijs suis dumtaxat exceptis; relinquendo tamen dictas particulas semper ipsi Comiti Micaeli cum sua posteritate pacifice possidendas. In cuius rei memoriam ad instanciam ipsarum parcium presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum feria tercia proxima ante festum Beati Andree Apostoli, anno Domini M°. CC°. LXX. nono. Domino Batur Preposito, magistro Iwan Cantore, magistro Benedicto Custode, Alberto Decano existentibus.

Jegyzet. A Kállay nemzetségnek bőrhártyára írott példányából másolta Horvát István. *Érdy.*

125.

A fehérvári keresztesek konventje Máté nádor itéletlevelét Alberthi Devecher részére átírja. 1279.

Nos Conventus Domus Hospitalis de Alba damus pro memoria, quod Deuecher de Oberth ad nostram accedens presenciam, obtulit nobis litteras nobilis viri M. Palatini, et pecijt a nobis, ut tenorem earundem nostris litteris inseri faceremus. Qui talis est:

Nos M. Palatinus stb. (következik Máté nándornak 1279-ki itélet levele, mint fenebb 120. sz. a.)

Nos igitur continencie earumdem litterarum domini Palatini de uerbo ad uerbum presentibus seriatim redacte nostrum sigillum duximus apponendum. Datum tercio die Sancti Stephani Regis, anno Domini M°. CC°. septuagesimo nono.

Jegyzet. E bőrhártyán kelt Kapos-Mérei Mérey László zártlevelének hátirata ez: „Pro Dewecher." Másolta Horvát István. *Érdy.*

126.

Tevl falunak részbirtokosai örökségi jogon birt részeiket, a somogyi sz. Egyed konventje előtt bevallják Balázs Mihály fiának. 1279.

Conuentus Monasterij Sancti Egidij de Symigio omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentes litteras inspecturis salutem in salutis auctore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod magister Blasius filius Mychaelis ab una parte, Stephanus filius Comitis Andree filij Pere, Boxa filius Kynus, Salomon filius Bulchu, Paul filius Chekev, Andreas filius Mychaelis filij Chyug, Ivanch filius Chetk, Petrus filius Galus, Egidius et Fyle filij Pousa, ac Lorandus filius Sycundus de villa Tevl ab altera, personaliter ad nostram accedentes presenciam, quilibet uirorum predictorum de suis hereditariis, vineis scilicet, terris arabilibus, et fenilibus, in territorio eiusdem ville Tevl existentibus, prout ad eosdem pertinere videbatur, permittentibus cognatis suis et vicinis omnibus, confessi sunt se vendidisse magistro Blasio antedicto et eius heredibus in perpetuum possidere, vt verius et plenius situacio locorum omnium premissorum, et quantitas recepte pecunie inferius exprimentur. Videlicet Stephanus duo iugera terre in loco Saalma apelato in vicinitate terre Clementis, pro sex pensis denariorum banalium; item Boxa tria iugera terre in loco Humuchaat uocato, distendencia cum longitudine a silua Thome usque viam Johannis uulgariter Joanvta uocatam, et alia tria iugera in fimatis prope villam in uicinitate terre Both filij Choom pro duodecim pensis denariorum banalium; item Salomon unum iuger terre in loco Saalmateluc apellato pro fertone et dymidio; item Paul unum fenile pro dimidia marca et vncia; item Andreas fenile pro marca, et fertone, quod sibi in diuisione cesserat cum Paulo antedicto, permittentibus Mooth, Yob, filijs Joseph et Dyonisio fratre eiusdem

Joseph; item Ivanch unum iuger terre et dimidium, in loco Saalma pro tribus fertonibus; item Petrus similiter unum iuger terre et dimidium in codem loco Saalma pro tribus fertonibus; item Egidius et File unum iuger terre et dimidium iuxta siluam in loco Humuc, et dimidium iuger iuxta terras Chub a parte meridionali pro dimidia marca, et unam vineam in loco Saalma in vicinitate vinearum filiorum Galus et Tuus pro tribus fertonibus; item Lorandus fenyle iacens in vicinitate fenilium Mathey et Johannis filij Paulus, obligacione tali interposita, quod si qui temporis processu super omnibus premissis uendicionibus contra magistrum Blasium pluries nominatum, aut suos heredes in forma litis vel quoquo modo insurgerent, extunc ijdem uendentes et eorum successores proprijs suis laboribus et expensis expedire tenerentur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem ad peticionem partis utriusque presentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno ab Incarnacione Domini M° CC° LXX° nono. Johanne Abbate, Balduino Decano, Lukaach Custode, Cypriano Celerario existentibus.

Jegyzet. Másolta Horvát István, bőrhártyán kelt hiteles példányról. *Érdy.*

127.

A királyi felségtől és nádortól delegált biztosok Somogymegyében határjárást tartanak a kir. udvarnokok egyik ottani helységében. 1279.

Nos Comes Paulus filius Comitis Menzeu, Barch, homo M. Palatini, et Clemens Comes vduornicorum de Symigio, ad reambulandas terras vduornicorum domini Regis, et eisdem restituendas, a domino Rege et M. Palatino deputati et transmissi, damus pro memoria, quod cum nos in Comitatu Symigiensi terras vduornicorum reambulassemus, inter cetera quandam terram — — vocatam a filiis Comitis Ipoliti, Vgra videlicet Nicolao et Valentino Comitibus, presentibus jobagionibus vduornicorum et vduornicis — — — — — — — reambulauimus — — — — statu, quo antea dominum Regem et vduornicos — — — — jobagiones vduornici et vduornici — — — — — — — — — — metis — — — — — incipiunt primo et principaliter progredientes in loco — — — — — — — — Episcopi — — — — orientalem, usque uerticem montis et ibi — — — — — — terree, et meando usque longitudinem — — — — — — due mete. Deinde meando similiter per longitudinem — — — ad partem orientalem sunt due mete — — — descen — — — — — prope ad Hydus in fine fimatarum terrarum in una magna arbore piri, ubi sunt due mete; et ibi a parte meridionali remanet vduornicis, a parte vero Bolotun hereditaria terra filiorum Comitis Ipoliti predictorum; et ibi transit ultra aquam Hydus ad partem orientalem, vbi sunt due mete terree; deinde iuxta aquam vadit uersus meridiem, et ibi juxta eandem aquam sunt due mete; deinde meando sunt iterum due mete; et adhuc similiter meando sunt due mete; et ibi a parte occidentali aqua remanet vduornicis, a parte vero orientali terra filijs Comitis Ipoliti, et in eadem aqua vduor-

nici habent duo molendina, et sic terminatur. Datum anno gracie M° CC° LXX° nono.

(Máté nádor ugyanazon évi okmányából, melynek igen megrongált eredetie találtatik a nemzeti muzeum kézirati gyűjteményében.)

128.

IV. László király Paskaz pozsonyi prépostnak adományozza Szi-imcset, hála fejében, hogy öt Fülöp pápai követtel kibékité. 1280.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Eorum digne peticionibus condescendit Regia Celsitudo, quorum fides et deuocio certis claruerunt experiencie documentis, quique Regiis ministeriis iugi famulatus obsequio absque uariacionis nota dinoscuntur sinceritatis studio adhesisse. Ad vniuersorum igitur noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod recensitis laudabilis fidei puritate solideque deuocionis famulatu dilecti et fidelis nostri magistri Pascasij Prepositi Posoniensis, quibus idem nostre se Celsitudini dinoscitur ab euo nostre puericie fideliter dedicasse, considerantes maxime, quod idem Prepositus inter alia fidelitatis sue studia, que in omnibus nostris et Regni nostri agendis sue commissis fidei laudabiliter exhibuit et impendit, in negocio reconciliacionis nostre cum venerabili patre domino Philippo Firmano Episcopo, Apostolice Sedis Legato gratum Deo et nobis prebuit famulatum, reducendo nos industrie sue monitis et induccionibus salutaribus cum eodem domino Legato ad pacis et concordie unitatem; nos peticionibus ipsius Prepositi et meritoriis obsequiis liberaliter inclinati, quandam terram castrensium Castri nostri Posoniensis Zelinch

vocatam, in qua olim Bard residebat, contiguam et commetaneam terre Ecclesie Sancti Saluatoris de Posonio similite Zelinch vocate, quam nos olim eidem Ecclesie dinoscimur contulisse, in aliqualem suorum recompensacionem meritorum, cum eidem Preposito in amplioris munificencie beneficiis propter sua obsequiosa merita teneamur, sibi et per eum Ecclesie sue predicti Sancti Saluatoris, a jure castrensium et jurisdiccione Castri Posoniensis absolutam penitus et exemptam, cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis donavimus, dedimus et contulimus jure perpetuo possidendam; facientes eundem Prepositum tam suo, quam predicte Ecclesie sue nomine in vacuam et corporalem possessionem dicte terre per Petrum Magistrum Dapiferorum nostrorum, Comitem Posoniensem et Musuniensem, dilectum et fidelem nostrum, sub testimonio Strigoniensis Capituli introduci. Vt igitur hec nostra donacio seu collacio robur optineat perpetue firmitatis, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Bartholomei dilecti et fidelis nostri, aule nostre Vice-Cancellarij, anno Domini millesimo ducentesimo octvagesimo, Regni autem nostri anno VIII., XV. Kalendas Septembris, Indiccione VIII.

(Hártya. A pecsét veressárga zsinóron függött Pozsonykáptalani magánlevéltár Capsa *C* Fasc. 5. Nro 47. Kivonata Fehérnél Cod. dipl. V. k. 3. r. 74. l. *Knauz.*)

129.

IV. László király Máté és több rokonait, kik eddig a tárnoki szolgálat alatt álltak, megnemesíti. 1280.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex ad universorum noticiam volumus pervenire: quod Comes Matheus fidelis et familiaris tavernicus noster, ad nostram accedendo presenciam a nobis humiliter supplicando postulavit, ut ipsum ob merita serviciorum suorum nobis impensorum, et per eum Zumbor fratrem suum, Farcasium et Borz filios Bene, Girolt et Augustinum filios Gregorij, Helys et Kemyn cognatos suos de villa Thymar de populis tavernicorum nostrorum oriendos ab onere ipsius thavernicatus eximendo, cum terra ipsorum in villa Thymar existente eximere, et in cetum et collegium Regalium serviencium nostrorum transferre dignaremur. Nos igitur consideratis serviciis ipsius Comitis Mathei, que ab adolescencie sue temporibus, primum domino Regi Stephano patri nostro impendit, et cum dicto Rege patre nostro viam universe carnis ingresso Regni gubernaculum et Regium solium adepti fuissemus jure et ordine geniture, dictus Matheus Comes in domo nostra jugiter famulando, et diversis actibus suis, et conspicuorum serviciorum suorum generibus multipliciter coram oculis nostre Maiestatis meruisset commendari, et ob fidelitatem Corone Regie debitam se diversis fortune casibus submittere nunquam formidasset, voluntatem et preceptum nostrum sagaciter in omnibus, loco et tempore opportunis effectui mancipando; eo etiam tempore, cum Regnum nostrum per bellum intestinum et extrinsecum puericie nostre temporibus fere ad exinanicionem virtutis (?) extreme devenisset, idem Comes Matheus in legacionibus nostris multiplicibus insudando, in omnibus et per omnia pro commodo Regni nostri invigilando nostram effecisset voluntatem. Unde in

recompensacionem Comitis Mathei serviciorum nobis cum diligencia summe fidelitatis impensorum, et que nobis impendere posset in futurum, ipsum Comitem Matheum, et per eum Zumbor fratrem suum vterinum, Farcasium, Borz, Gyrolt, Augustinum, Helys et Kemyn cognatos suos antedictos, de condicione thavernicorum nostrorum cum terris ipsorum in villa Thymar existentibus duximus ex liberalitate Regia eximendos, tam pure et simpliciter, ut de cetero idem Comes Matheus, frater et cognati sui memorati, et eorum heredes, heredumque suorum successores super terras ipsorum in villa Thymar existentes illa et eadem gaudeant libertate, qua ceteri nobiles Regni perfruuntur sub vexillo Regio militantes stb. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei aule nostre Vice-Cancellarii, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, secundo Calendas Septembris, Indiccione octaua, Regni autem nostri anno octauo.

(Hevenesi kézirati gyűjteményéből; Diplomatarium Cruciferorum Albensium III. k. 25. l. *Czech*).

130.

IV. László király Jakabnak, Posony váralja birájának, adományozza Plumou nevű földet. 1280.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentem paginam inspecturis salutem in omnium Saluatore. Vt collaciones Principum perpetua firmitate solidentur, litterarum solent munimine roborari; inconcussum quippe permanet ac firmum, quod Regio fuerat patrocinio communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Jacobus villicus de suburbio Castri Po-

soniensis ad nostram accedens presenciam nobis humiliter supplicavit, vt quandam terram Plumow vocatam, vacuam et habitatoribus destitutam, ad Comitatum Vztumpa pertinentem, de benignitate Regia eidem conferre dignaremur. Nos igitur consideratis fidelitatibus et seruiciorum meritis, que nobis in ipso suburbio Posoniensi commorando (így), et specialiter contra Johannem filium Petri quondam Curialem Comitem Posoniensem, qui labe infidelitatis repletus dictum castrum nostrum Posoniense contra nos inire antemptabat, fideliter et strenue inpendit, ipsam terram Plumou a jure et jurisdiccione Comitatus de Vztumpa exceptam penitus et exemptam contulimus, dedimus et donauimus ipsi Jacobo villico, et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus perpetuo et irreuocabiliter pacifice possidendam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis uiri magistri Achonis aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC°. octuagesimo, Regni autem nostri anno octauo.

(Az eredeti után, melyről a király pecséte függ.)

131.

Erzsébet királyné a veszprémi egyháznak adományoz Berén helységben birtokot. 1280.

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie universis presentes literas inspecturis salutem in omnium Salvatore. Etsi cunctis de nostra sperantibus gracia adesse et prodesse velimus et teneamur ex debito honestatis, illis tamen pre ceteris specialius respondere volumus repensis gratuitis, ut debemus, quorum nos inducunt merita graciosa, et monent fidelitates eximie et insignes. Hinc est, quod universis tenore presencium innotescat, quod cum nos de manu venerabilis patris domini Pauli, bone memorie quondam Episcopi Ecclesie Vesprimiensis, cujus Presules pro tempore constituti, ex prerogativa ejusdem Ecclesie et eximia libertate, Reginas Hungarie inungunt, et coronant; in qua quidem Ecclesia est sedes Reginalis, in Reginam Hungarie inuncte fuissemus, et Deo propitio suscepissemus pariter Reginale dyadema, tunc temporis in corde nostro votum vovissemus speciale, eidem Ecclesie Vesprimiensi, ad instar et exemplum aliarum Reginarum Hungarie, iuxta morem solitum, in possessione aliqua prouidere, tanquam ejus specialis patrona, cujus ad nos, et alias Reginas Hungarie constitutas pro tempore jus pertinet patronatus. Cupientes itaque votum hujusmodi debitum producere ad effectum, totalem terram curriferorum, bochariorum nostrorum, ac pincernarum de territorio magne ville Beren juxta Sumberen, in Comitatu Symeghiensi constitutam, videlicet in terris fimatis, ad culturam duorum aratrorum, et in terris campestribus, sylvis et nemoribus ad quantitatem usus trium aratrorum sufficientem, et fenetum septem falcastrorum in eadem existens, prout ad mandatum nostrum Capitulum Albensis Ecclesie nobis in suis literis remandavit numerum qualitatem, et quantitatem omnium premissorum, simul cum omnibus vineis in eisdem terris existentibus, ex mera liberalitate, et certa munificencia Reginali eidem Ecclesie Vespri-

miensi, a qua in rebus temporalibus multa beneficia nos meminimus, et recognoscimus, necessitatis nostre in temporibus recepisse, ad utilitatem et perpetuitatem Prepositi et Capituli ipsius Ecclesie Vesprimiensis dedimus, donavimus et contulimus, perpetuo et pacifice possidendam; sitam mixtim, per maxime cum alijs terris ejusdem Ecclesie in eodem territorio de Beren constitutis, quas ab olym ipsa Ecclesia Vesprimiensis quiete dinoscitur hactenus possedisse, et per nobilem virum Comitem Johannem filium Sydow, sub testimonio ejusdem Capituli Albensis, Prepositum et Capitulum Ecclesie Vesprimiensis prefate in corporalem possessionem et perpetuam tenutam ejusdem terre de Beren et omnium utilitatum, ac pertinenciarum suarum, nullo contradictore apparente, jussimus et fecimus introduci. Ut igitur hujusmodi donacionis, et collacionis nostre series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit processu temporis irritari, presentes literas duplicis sigilli nostri munimine dari fecimus roboratas. Datum per manus discreti viri Magistri Ladislai Prepositi Ecclesie Vaciensis, aule nostre Cancellarij, fidelis nostri. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo.

(Robert Károly királynak 1323-ki megerősítő privilegiumából, mely a veszprémi káptalan levéltárában őriztetik.)

132.

Erzsébet királyné ugyanazon tárgyban. 1280.

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie universis presentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Etsi cunctis de nostra sperantibus gracia adesse vel prodesse velimus et teneamur ex debito honestatis, illis tamen pre ceteris specialius respondere volumus repensis gratuitis, ut debemus, quorum nos inducunt merita graciosa, et monent fidelitates eximie et insignes. Hinc est, quod universis tenore presencium innotescat, quod cum nos de manu venerabilis patris domini Pauli, bone memorie quondam Episcopi Ecclesie Vesprimiensis, cujus Presules pro tempore constituti ex prerogativa ejusdem Ecclesie et eximia libertate, Reginas Hungarie inungunt et coronant, in qua quidem Ecclesia, est sedes Reginalis, in Reginam Hungarie inuncte fuissemus, et Deo propicio suscepissemus pariter Reginale dyadema, tunc temporis in corde nostro votum vovissemus speciale, eidem Ecclesie Vesprimiensi ad instar, et exemplum aliarum Reginarum Hungarie, juxta morem solitum in possessione aliqua providere tanquam ejus specialis patrona, cujus ad nos, et ad alias Reginas Hungarie constitutas pro tempore jus pertinet patronatus. Cupientes itaque votum hujusmodi debitum producere ad effectum, totalem terram pincernarum et bochariorum nostrorum de territorio magne ville Bereen, juxta Sumberen in Comitatu Simeghiensi constitutam, videlicet in terris fimatis, ad culturam duorum aratrorum, et in terris campestribus, sylvis et nemoribus, ad quantitatem usus trium aratrorum sufficientem et fenetum septem falcastrorum in eadem existens, prout ad mandatum nostrum Capitulum Albensis Ecclesie nobis in suis literis remandavit, numerum qualitatem et quantitatem omnium premissorum, eidem Ecclesie Vesprimiensis ex mera liberalitate, et certa munificentia Reginali, a qua quidem Ecclesia in rebus temporalibus multa

beneficia nos meminimus et recognoscimus necessitatis nostre in temporibus recepisse, ad utilitatem et proprietatem Prepositi, et Capituli ipsius Ecclesie Vesprimiensis dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et pacifice possidendam, sitam mixtim per maxime cum alijs terris ejusdem Ecclesie in eodem territorio de Beren constitutis quas ab olim ipsa Ecclesia Vesprimiensis quiete dignoscitur hactenus possedisse, et per nobilem virum Comitem Johannem filium Sydus sub testimonio ejusdem Capituli Albensis Prepositum, et Capitulum Ecclesie Vesprimiensis prefate in corporalem possessionem et perpetuam tenutam ejusdem terre de Beren, et omnium utilitatum et pertinenciarum suarum, nullo contradictore apparente, jussimus et fecimus introduci. Salua tamen libertate vinearum, super eadem terra existencium remanente, de quibus eisdem Preposito et Capitulo Vesprimiensis Ecclesie taliter volumus et ordinavimus responderi; quemadmodum populi de eodem Comitatu Simeghiensi, alij super terris aliorum vineas possidentes respondere terrarum dominis ab antiquo tempore, cujus non extat memoria, consueuerunt. Vt igitur hujusmodi donacionis et collacionis nostre series robur obtineat perpetue firmitatis, nec possit processu temporis irritari, presentes literas duplicis sigilli nostri munimine dari fecimus roboratas. Datum per manus discreti viri Magistri Ladislai Prepositi Ecclesie Vaciensis aule nostre Cancellarij, fidelis nostri. Anno Domini M° CC° octuagesimo.

(Ugyan Robert Károly királynak ezen 1323-ki privilegiumából.)

133.

Erzsébet idősb királyné, V. István király özvegye, Lőcsei Geubulin gróf számára megerősíti IV. Béla királynak Nádas nevű birtokra vonatkozó adományát. 1280.

Elisabeth Dei gracia major Regina Hungarie, Ducissa de Macho et Bosna, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad vniuersorum presencium futurorumque noticiam harum serie volumus pervenire, quod Johannes filius Comitis Geubulini de Leuche ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis privilegium domini Bele Regis Illustris soceri nostri felicis recordacionis, petens, vt ipsum privilegium ratificare, et ratificatum nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie stb. Rex stb (következik IV. Béla király 1263-ki privilegiuma, mely olvasható Okmánytárunk III. kötetében 39. l.)

Nos igitur peticionibus ipsius Johannis iustis et condignis favorabiliter inclinata, privilegium soceri nostri predicti non cancellatum, non abrasum, non in aliqua sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, auctoritate presencium duximus confirmandum, duplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis et discreti viri magistri Luce, Strigoniensis Ecclesie Prepositi, aule nostre Cancellarii, fidelis nostri, anno ab Incarnacione Domini M° CC° octuagesimo.

(Czech kézirataiból. V. ö. Fejért Cod. Dipl. V. k. 3. r. 38. l.)

134.

III. Miklós pápa a Lodomérnak, ujonan választott esztergami érseknek szánt érseki palliumot, Román honti, és Angelus nyitrai esperestek által küldi Magyarországba. 1280.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Magistris Romano Huntensi et Angelo Nitriensi Archidiaconis in Ecclesia Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilem (fratrem) nostrum Lodomerum, tunc Episcopum Waradiensem, Electum Strigoniensem a vinculo, quo Waradiensi tenebatur Ecclesie, absolutum ad Strigoniensem Ecclesiam, tunc pastore vacantem, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis duximus transferendum : nos de industria vestra confisi, pallium, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ab eodem Electo cum instancia postulatum, de corpore Beati Petri sumptum, per vos presentandum venerabilibus fratribus nostris Philippo Firmano Apostolice Sedis Legato et Andree Agriensi Episcopis, ac per eos vel ipsorum alterum sub certa forma dicto Electo tradendum providimus destinandum; a vobis recepto de prosequenda fideliter presentatione huiusmodi juramento. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta sub debito prestiti iuramenti mandamus, quatenus vos ad presentiam ipsorum Episcoporum personaliter conferentes, huiusmodi pallium, sicut premittitur, dicto Electo tradendum fideliter ipsis Legato et Agriensi Episcopo presentetis. Volumus autem, quod si alterum vestrum medio tempore infirmari, aut alias impediri, vel forte mori contingat, superstes nichilominus predictum pallium iuxta premissum modum presentet Legato et Episcopo memoratis. Quod si forte vos ambos, antequam presentatio huiusmodi fieret, de medio tolli contingat, providere curetis, ut pallium ipsum apud Cathedralem vel Religiosam Ecclesiam illius loci, ubi uos obire acciderit, fideliter deponatur, eisdem Legato et Episcopo

iuxta formam vobis traditam, quam citius fieri potuerit, presentandum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Maii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(III. Miklós pápa Regestaiból, Theiner id. m. I. k. 346. l.)

135.

III. Miklós pápa ugyanazon ügyben Fülöp fermoi püspök es pápai követ, s Endre egri püspökhez. 1280.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Philippo Firmano Apostolice Sedis Legato, et Andree Agriensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Lodomerum, tunc Episcopum Waradiensem, Electum Strigoniensem a vinculo, quo Waradiensi tenebatur Ecclesie absolutum ad Strigoniensem Ecclesiam, tunc pastore vacantem de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis duximus transferendum, nos de industria dilectorum filiorum magistrorum Romani Huntensis et Angeli Nitriensis Archidiaconorum in eadem Ecclesia Strigoniensi confisi, pallium, plenitudinem videlicet Pontificalis officii, cum instancia postulatum, de corpore Beati Petri sumptum vobis per eosdem Archidiaconos presentandum, ac per vos vel alterum vestrum sub certa forma dicto Electo tradendum providemus destinandum, ab eis Archidiaconis recepto de prosequenda fideliter presentatione huiusmodi iuramento. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus pallio ipso recepto, illud eidem Electo auctoritate nostra tradatis iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, recepturi ab eo postmodum nostro et Ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum secundum formam, quam vobis sub eadem bulla providimus transmittendam; formam

autem juramenti, quod ipse prestabit, nobis de verbo ad verbum per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Intendimus quoque, quod tu, frater Episcope Firmane, premissa per te ipsum, si poteris, exequaris, et si extra legationem tuam, vel aliquo casu impeditum te fore contingeret, tu, frater Episcope Agriensis, ad premissorum executionem mandati nostri forma servata procedas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Maii (Pontificatus nostri) anno tertio.

(III. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 346. l.)

136.

I. Rudolf római-német király II. Endre magyar királynak a német rend számára a barczaságra vonatkozó 1222-ki privilegiumát hitelesíti. 1280.

Rudolphus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis graciam suam et omne bonum. Ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam volumus pervenire, quod nos vidimus et audivimus litteras Incliti Andree Regis Ungarie Illustris, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sua parte vitiatas, cum vera bulla aurea prefati domini Regis Ungarie et filo serico integro bullatas et signatas, quarum tenor talis est:

In nomine Sancte et Individue Trinitatis Amen stb. (következik II. Endre király 1222-ki privilegiuma, mely olvasható Fejérnél Cod. Dipl. III. k. 1. r. 370. l.)

In cujus visionis nostre et audicionis testimonium presens scriptum Majestatis nostre sigillo duximus roborandum.

Datum Wine Idus Martii, indiccione VIII., anno Domini M°.CC°.LXXX°. Regni vero nostri anno septimo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Gesch. Siebenbürgens I. k. 118. l.)

137.

Lodomér esztergami érsek a veszprémi káptalan és a somogymegyei plébánosok közti tizedes perben. 1280.

Tenor litterarum per Lodomerium Archiepiscopum Strigoniensem anno 1280. in castro Strigoniensi editarum inter cetera sic sonabat: „eundem Archiepiscopum ex Philippi Firmani, tunc in his partibus Apostolice Sedis Legati vocali commissione ordinasse ac laudasse (in causa Rectorum Ecclesiarum Comitatus Srigoniensis contra Capitulum Vespriemiense relate ad portionem iisdem Rectoribus ex decimis dicti Comitatus competentem agitata) inter partes iuxta litteras cuiusdam Rostardi Curie Apostolice Generalis Auditoris hoc modo: quod ipsi plebani integras quartas decimarum deberent percipere et habere."

(Mátyás király ugyanazon ügyben 1482. „Bude in vigilia Purificationis Beate Virginis" kelt okmányából, Egyházi Értekezések 1824-ki évfoly. I. R. 172. l. *Czech.*)

138.

Az erdélyi káptalan bizonyságlevele, hogy Erney Ipusnak fia, és nemzetségének emberei Theuk nevü földüket Bálintnak és társainak bevallották. 1280.

Capitulum Ecclesie Beati Mychaelis Transsyluane, uniuersis Christi fidelibus presentes p — inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium cupimus peruenire, quod constitutus coram nobis Erney filius Ipus, pro se et pro fratre suo Petro, pro Bata et Paulo filijs Yeduch, et Benedictus germanus auie personaliter constitutus pro filio Kannar paruulo, pro hijs omnibus superius nominatis, quia sint de una generacione responderunt et dixerunt, quod quandam terram eorundem hereditariam et communem superior Theuk uocatam cum omnibus pertinencijs suis et vtilitatibus iuxta ueteres metas et antiquas de consensu et uoluntate Benedicti filii Mychaelis, et Demetrij fratris ejusdem, et commetaneorum, videlicet Michaelis et Johannis filiorum Laurencij, nec non aliorum, uendidissent ac tradidissent pro decem marcis Valentino, Nicholao nigro Zalando, et Wylme, ac heredibus suis, heredumue suorum, successoribus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam. Dixerunt eciam supra dicti Erney, et Benedictus, quod si tractu temporis aliquis consanguineorum suorum uel alius, ipsos Valentinum, Nycholaum nigrum, Zalandum et Wylme super terra memorata molestare attemptaret, ijdem proprijs laboribus et expensis eosdem defendere tenerentur. Vt igitur res gesta robur optineat perpetue firmitatis, litteras nostras testimoniales concessimus et dedimus sigillo nostro autentico roboratas. Datum anno Domini M°.CC°. octuagesimo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch z. Gesch. Siebenb. I. k. 119. l.)

139.

Az esztergami káptalan Vincze nyitrai püspök közleményének folytán bizonyítja, hogy Ludani Gothard barát és Chaba gróf hátramaradt árvái közt birtokegyezkedés történt. 1280.

A B C D.

Magister L. Prepositus et Capitulum Ecclesie Strigoniensis omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis largitore. Ad vniuersitatis vestre noticiam harum serie volumus peruenire, quod dominus Vincencius Dei gracia Episcopus Nitriensis suas nobis direxit litteras sub hac forma :

Discretis viris et honestis dominis, amicis suis in Christo karissimis L. Preposito et Capitulo Strigoniensi W. miseracione Diuina Episcopus Nitriensis mutuam in Domino caritatem. Nouerit discrecionis vestre amicicia, quod frater Gothhardus de ordine fratrum minorum, nobilis vir de Ludan, presentibus relicta Comitis Chaba fratris dicti fratris Gothhardi, Nicolao et Mykou orphanis ejusdem Comitis Chaba a predicta domina generatis, et ipsis consencientibus, proposuit coram nobis, quod totam porcionem suam, quam habebat in villa Prezlen cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis ipsi domine pro quinquaginta marcis in rebus, quas ipsa domina tempore nupciarum suarum dixit fuisse secum delatas, acceptis ab eadem domina, plenarie, ut asserit, vendidisset jure perpetuo et irreuocabiliter possidendam; in aliis vero possessionibus ipsorum tale dixerunt inter se concambium ordinasse, ut possessiones ipsorum orphanorum — — — — possessionibus vero ipsius fratris in Comitatu Nitriensi constitutis, Trepk, Baynag et Koac vocatis antedictis orphanis Comitis Chaba manentibus perpetuo pacifice et quiete. Et quia nominate partes prescripta uestris priuilegialibus litteris ad robur perpetue firmitatis volunt

confirmari; eisdem nostri gracia, cum ad vos accesserint, super premissis uestras litteras conferre velitis.

Nos igitur iuxta continenciam predictarum litterarum domini W. Episcopi Nitriensis; et quia frater G. de ordine fratrum minorum uiri (így) nobilis de Ludan predictas litteras uestras esse asseruit coram nobis; in huius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti uiri magistri Sixti, Lectoris Ecclesie nostre, anno Domini M° CC° octuagesimo — — mensis Augusti.

(Eredetie a Nemzeti Muzeum kézirati gyűjteményében.)

140.

Adorján István székely Ispán és több Thelegd megyei székelyek egy prépostfalvai birtok eladására vonatkozó bizonyságlevele. 1280.

Nos Stephanus Adrianus Comes ac ceteri Siculi viri prouidi et honesti in dyocesi Thelegd constituti. Ad vniuersorum noticiam presencium sub tenore volumus peruenire, quibus presentes ostenduntur, quod Jacobus filius Jacobi frater Georgii bone memorie de Gald ex una parte, altera vero parte Gerlacus de Pulcromonte et Henricus de Sancta Agatha, et Theodoricus filius Herbordi constituti coram nobis, qui professi sunt tali modo coram nobis, quod Jacobus terram suam hereditariam, et mediam partem molendini cum attinenciis sibi pertinentibus in Probstroph, que sua erant hereditaria, supradictis probis viris G. et H. et Th. vendidit pro altera media marca fini argenti, ipsorum heredibus, heredumque successoribus possidendam, ita tamen si vllo umquam tempore aliquis ipsorum cognatorum Jacobi

vellet revocare, et ipsis possessoribus Probstrop et in Sconberk, que sibi pertinebat, in irritum causam vellent incitare, facultatem non habeant incitandi. Testes autem Comes Wastmodus, Comes Herbordus, Comes Winricus, Comes Petrus de Dalia; insuper seniores de castro Ses, super co presentes litteras sigillo ciuium de Cibinio fecimus munimine roborari. Datum anno Domini M°CC°LXXX°.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Gesch. Siebenbürgens I. k. 121. l)

141.

IV. László király megerősíti a veszprémi káptalannak, a Pecheli nemesek birtokára nézve Sz. Gál helységben tartott határjárásat. 1281.

(L)adizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in salutis largitore. Vt ea, que in tempore geruntur, ne per labencia temporum spacia defluant et labantur, litterarum solent patrocinio communiri. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam Jacobus et Grysgon nobiles de Pechel, retulerunt, vt terram ducentorum iugerum, et dimidium molendinum ipsorum cum terra caniferorum nostrorum de villa Sancti Gal i mixtim et communiter haberent, et petiuerunt a nobis, vt hominem nostrum ydoneum cum testimonio Capituli Vesprimiensis mitteremus, quod dictam terram et ipsum molendinum distingendo et separando a terra eorundem caniferorum nostrorum, ipsis statueret et assignaret, si non fieret aliquis contradictor. Nos itaque ad instanciam et

humilem peticionem predictorum Jacobi et Grysgon Capitulo Vesprimiensi dedimus in mandatis, vt ipsorum constituerent testimonium ydoneum, coram quo Petrus filius Pousa homo noster accederet super faciem terre eorundem ducentorum iugerum, et ad ipsum molendinum; et ipsam terram ac dictum molendinum, si non existeret aliquis contradictor, predictis Jacobo et Grysgon statueret, a terra eorundem caniferorum distingendo et separando. Quod quidem Capitulum nobis rescripsit in hec verba:

Excellentissimo domino suo Ladislao Dei gracia Regi Hungarie stb. (következik a veszprémi káptalan jelentése, mint alább 142. sz. a.)

Nos igitur seriem statucionis et assignacionis dicte terre et ipsius molendini eisdem nobilibus factam ratam habentes et acceptam, auctoritate presencium communimus. Datum per manus discreti viri magistri Achonis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini Millesimo CC° octuagesimo primo, duodecimo Kalendas Octobris, Indiccione nona, Regni autem nostri anno decimo.

(Eredetie őriztetik a győri káptalan levéltárában.)

142.

A veszprémi káptalan IV. László királyhoz jelentést tesz, hogy a Pecheli nemesek birtokára nézve Sz. Gál helységben határjárást tartott. 1281.

Excellentissimo domino suo Ladislao Dei gracia Regi Hungarie Capitulum Vesprimiensis Ecclesie oraciones in Domino tam debitas quam deuotas. Serenitatis uestre precepta reuerenter exequentes, ut tenemur, iuxta uestrarum continenciam litterarum cum Petro filio — — homine uestro nostrum hominem pro testimonio misimus fidedignum; qui demum ad nos rediens cum eodem nobis dixit, quod idem homo uester in Dominica Palmarum iuxta mandatum Excellencie uestre accedens ad faciem terre caniferorum uestrorum de villa Sancti Galli, conuocatis commetaneis et uicinis, ipsisque populis caniferis uestris presentibus, terram Jacobi et Grysgon nobilium de Pechel habitam in predicta villa Sancti Galli cum terris predictorum caniferorum uestrorum iacentem communiter atque mixtim numero iugerum ducentorum, et dimidium molendinum reambulasset, et eisdem nobilibus, Jacobo videlicet et Grisgon reambulatam statuisset et assignasset nullo contradictore seu prohibitore apparente. Datum feria secunda proxima post Dominicam Palmarum.

(IV. László király megerősítő okmányából, mint fenebb 141. sz. a.)

143.

A nagyváradi káptalan bizonyságlevele, hogy az erdélyi püspök és Barch fiai peres ügyben barátságos egyességre léptek. 1281.

Capitulum — — — salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod — — — patris domini P. Episcopi Albensis Ecclesie Transiluane vice et nomine ipsius domini Episcopi ex una parte, magister (Ugrinus) de genere Chak pro se et nomine Mychaelis et Barch fratrum suorum, ab altera, coram nobis — — — nobis hinc inde duo paria literarum Comitis Stephani Viceiudicis Curie domini Regis eundem — — — sub hac forma :

Nos Comes St. etc. (mint alább 144. sz. a.)

Nos igitur visis literis ipsius Comitis Stephani Viceiudicis Curie domini Regis et plene intellectis communis juris debito prenotati ad instanciam utriusque parcium predictarum nobilem virum et discretum magistrum Emericum Ecclesie nostre Lectorem ad premissa exequenda duximus destinandum, qui quidem demum ad nos rediens nobis propria viva voce pro loco et die in prenotatis literis eiusdem Viceiudicis Curie domini Regis expressis utrisque partibus conuenientibus dictus venerabilis pater dominus Episcopus Transsiluanus cum personis in literis sepe dicti Viceiudicis Curie Regis nominatis presto erat suum facere iuramentum, si postremum propter bonum perpetue pacis et mutue dileccionis affectum quin pocius quoque verum foret propter iuramentum euitandum mediantibus pluribus probis et nobilibus viris idem dominus Episcopus ex vna parte, magister Ugrinus, Michael (et) Baarch filii Comitis Baarch propria in persona inibi constituti ex beneplacito suo remoto fomite tocius odii — — seu inimicicie inter ipsos — qualitercunque racione ipsius terre suscitati taliter in bonum perpetue concordie deuenerunt, quod sepedictus dominus Episcopus, sicut diximus, pro-

pter iuramenti sui remissionem de predicta terra duodecim aratrorum remisit et reliquit magistro Ugrino et fratribus suis supradictis quandam particulam terre metis infrascriptis distinctam a parte terre eorundem Gerend nuncupate, et que quedam terra Gerend uocata filiorum predicti Comitis Baarch a terris sepedicti domini Episcopi ad villam Baratpyspuky pertinentibus, nolentibus,conficientibus et efficaciter approbantibus, his metis nouis et quibusdam antiquis hoc ordine separatur, uidelicet ex publica uia a villa Baratpyspuky in villam Almas directam a parte meridionali sunt tres mete capitales magne et antique, quas propter sui euidenter apparenciam non fuit necesse renouari, que distinguunt et separant terras Bogomer Gerend et Baratpyspuky nuncupatas; dehinc tendit versus plagam septemtrionalem, ubi iuxta quandam antiquam metam partes predicte — —; abhinc uergit similiter uersus septemtrionem in loco campestri in competenti spacio — — meta noua; exinde tendit similiter ad septemtrionem iuxta siluam Gerend in spacio longitudinis — jugeris ac — ab illa silua sunt due mete noue; deinde similiter in septemtrionem obl — se ab illa silua iuxta quendam collem — una meta noua; item exinde — terras arabiles et uenit — — similem feneto, vbi sub una parva piro sunt due mete noue; post hec transit quendam paludem — uocatam, in cuius medio sunt comunia et uenit ad quendam locum — similem feneto; similiter uersus septemtrionem ubi est una meta noua, que omnes mete noue separant solum terram Gerend a terra Baratypyspuky prenotata; abhinc preterea eciam progrediens uersus septemtrionem tendit et pertingit ad finem silue Chaslo, vbi subsequendam — — mete antique que disterminant et distinguunt ab inuicem terras Kener, Chaslo, Gerend et Baratpyspuky nuncupatas, et illinc cursus predictarum metarum terminatur. In cuius rei memoriam et rei geste robur sempiternum presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. octuagesimo primo, feria secunda proxima post festum Adventus Sancti Michaelis Archangeli, domino Botur Preposito, Emerico Lectore, Johanne Cantore, Benedicto Custode magistris existentibus.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch z. Gesch. Siebenb. I. k. 122. l.)

144.

István alországbíró határozata, hogy az erdélyi püspök Chák nemzetségü Barch fiaival folytatott birtokperében eskült tegyen.
1281.

Nos Comes Stephanus Viceiudex Curie domini Regis damus pro memoria, quod tercio die — proxime uentur. — P. Episcopus Ecclesie Albensis Transsiluane, pro quo Comes Benedictus, filius Andree, officialis — suis comparuit in figura iudicij assumsit, continentibus, quod idem Episcopus accionem suam in hoc facto eidem commisit exequendam — Baarch et — filios Baarch de genere Chak, qui personaliter aderant super — terre contenciose — duodecim aratra sufficientis, quam predictus Comes Benedictus, officialis ipsius Episcopi dicit esse eiusdem Episcopi, et pertinere ad villam Baratpyspuky, predicti vero filii Baarch dicunt esse ipsorum, et pertinere ad villam eorundem Gerend uocatam, presente ydoneo testimonio Capituli Varadiensis, quod ijdem filij Baarch illuc adducunt, sicut partibus placuit cum uno ex fratribus suis de Capitulo suo, scilicet cum Decano vel Lectore loci eiusdem, se secundo, in predicta villa sua Baratpyspuky — are sicut mos est iurare Episcopis super terra super eo, quod predicta terra duodecim aratrorum sit ipsius et Ecclesie sue, et non fuerit et nec sit ipsorum filiorum Baarch; ipsum itaque iuramentum uolentibus et — ipsis partibus per nos exstitit judicatum post hec partes in octauis Natiuitatis Sancti Johannis Baptiste coram nobis compareb — seriem ipsius iuramenti in literis dicti Varadiensis Capituli exhibendo. Datum Bude sexto die medij quadragesime, anno Domini M°. CC°. octuagesimo primo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch z. Gesch. Siebenb. I. k. 121. l. L. a nagyváradi káptalan bizonyságlevelét fennebb 143. sz. a.)

145.

IV. László király Grb fiainak Heche helységben két ekényi földet adományoz. 1282.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie, Rame, Seruie, Lodomerie, Gallicie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Licet Regia pietas manum munificam porrigere debeat vniuersis; illos tamen, quorum experta probitas laudata est in prosperis et aduersis, prosequi debet munificencia ampliori, ut alii eorum exemplo inuitati ad fidelitatis opera vehemencius accendantur. Igitur ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum tenore presencium volumus pervenire; quod Paulus, Rolandus, Lampertus, Blasius, ac alij fratres eorum, filij Grb de Heche, fideles nostri, quandam terram castri nostri Zulgaiauriensis ad duo aratra sufficientem, Heche vocatam in Comitatu Jauriensi existentem, vacuam, ut dicebant, et habitatoribus a tempore Tartarorum destitutam, a nobis pecierunt sibi dari. Verum quia de qualitate et quantitate ipsius terre nobis veritas non constabat, vtrum vacua sit, et nostre collacioni pertinens, fidelibus nostris Capitulo Jauriensi in litteris nostris dedimus in mandatis, ut hominem ipsorum mitterent, cum Johanne filio Chenke, homine nostro de Eurkeu pro testimonio fidelem, coram quo idem homo noster rehambularet ipsam terram, presentibus commetaneis et vicinis, et si eam vacuam inveniret, et a tempore Tartarorum habitatoribus destitutam, statueret eisdem sine preiudicio iuris alieni, et si non fieret contradictum; contradictoribus ad nostram presenciam evocatis ad terminum competentem, et posthec diem citacionis et terminum, nomina contradictorum, qualitatem et quantitatem ipsius terre nobis rescriberent seriatim. Qui postmodum nobis rescripserunt, quod receptis litteris nostris debito cum honore, cum predicto ho-

mine nostro ipsorum pro testimonio misissent hominem fidelem, coram quo idem homo noster predictam terram castri nostri Zulgaiauriensis Heche vocatam, vacuam inventam et a tempore Tartarorum habitatoribus destitutam, ad duo aratra sufficientem statuisset eisdem Paulo, Rolando, Lamperto, Blasio, ac alijs fratribus ipsorum nullo contradictore existente. Nos igitur, qui ex officio suscepti regiminis metiri debemus merita singulorum, et unicuique pro meritis respondere, considerantesque servicia ipsorum meritoria, Pauli videlicet, Rolandi, Lamperti et Blasij, et specialiter que ijdem contra Teotonicos, per quos castrum nostrum Jauriense fuerat occupatum, qui ad perpetrandas destrucciones et spolia ac incendia commitenda de ipso castro Jauriensi exierant, ubi dicti Paulus, Rolandus, Lampertus et Blasius pro defensione incolarum Regni nostri viriliter dimicantes, quosdam ex ipsis Teotonicis captivatos nobis adducendo, quosdam vero in fugam convertendo, multos captivos hominum Regni nostri de captiuitate dictorum Teotonicorum liberarunt; vbi eciam letalia in se vulnera receperunt. Pro huiusmodi igitur fidelitatibus et serviciis eorum, et alijs in diuersis expedicionibus Regni nostri laudabiliter impensis, prefatam terram sub certis metis et antiquis, cum utilitatibus et pertinencijs suis, eisdem Paulo, Rolando, Lamperto, Blasio et omnibus fratribus suis uteriris, et per eos ipsorum heredibus, eorum heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus iure perpetuo possidendam. Vt autem huius nostre donacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum possit per quempiam in irritum revocari, presentes concessimus literas, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri; anno Domini millesimo CC° octuagesimo secundo, sexto Idus Julij, Indiccione X^a^, Regni autem nostri X°.

(*Czech* kézirataiból.)

146.

IV. László király megerősíti, Dénes Peerchi Chepan fia számára, V. István királynak, Peerch nevű birtokra vonatkozó adományát. 1282.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Justis peticionum desideriis assensum prebere ius invitat et Regalis pietas exortatur. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Dyonisius filius Chepani de Peerch ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis patentes literas domini Stephani patris nostri karissimi Regis felicissime recordacionis, petens cum instancia, vt ipsas ratas habere ac nostro dignaremur priuilegio confirmare. Quarum quidem tenor talis est:

Nos St. Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik V. István király adománya, mely olvasható Okmánytárunk III. kötetében 174 l.)

Nos itaque attendentes fidelitates et grata obsequia ac obsequiosa merita ipsius Dyonisij fidelis nostri, que semper et ubique locorum in diuersis expedicionibus Regni nostri fideliter exhibuit, et indefesse, et maxime tunc, cum castrum Fynta filii Dauid infidelis nostri Scelench vocatum fecissemus expugnari, idem Dyonisius consuete fidelitatis opus non deserens personam suam fortune casibus submittendo irruens ante alios, nobis cernentibus, graues ictus lapideos in suo corpore in ipsa pugna suscepit. Nos igitur pro tot et tantis meritorijs seruicijs eiusdem Dyonisij, prefatam terram, prout idem pater noster sibi contulerat, cum vtilitatibus suis vniuersis, sub eisdem metis et terminis, in quibus per ipsum Johannem habita esse dinoscitur et possessa, sepedicto Dyonisio et suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus atque tradidimus perpetuo et pacifice

possidendam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei, aule nostre Vice-Cancellarij dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° octuagesimo secundo, quarto Idus Augusti, Regni autem nostri anno decimo.

(Eredetie a nemzeti Muzeum kézirati gyüjteményében.)

147.

IV. Márton pápa a kalocsai érseknek, a szerémi és csanádi püspökkel együtt, megengedi, hogy a váradi püspökké választott vasvári prépostot, Tamást megerősíthesse. 1282.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Colocensi et Batiensi, ac . . . Sirmiensi et . . . Chanadiensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Sicut dilecti filii Thomas Electus et Capitulum Waradiensem nobis significare curarunt, vacante dudum Waradiensi Ecclesia per translacionem venerabilis nostri fratris, Lodomerii Archiepiscopi Strigoniensis, tunc Waradiensis Episcopi, ad Ecclesiam Strigoniensem, idem Capitulum dictum Thomam, tunc Prepositum Ecclesie Sancti Michaelis de Castroferreo Jauriensis Diocesis, in eorum Episcopum canonice ac concorditer elegerunt, et tibi, frater Archiepiscope, tunc Electo Colocensi et Batiensi, loci Metropolitano, electione huius presentata, illam confirmari cum instancia petierunt. Sed venerabilis frater noster Philippus Episcopus Firmanus, in illis partibus Apostolice Sedis Legatus, asserens, quod idem Thomas Preposituram ipsius Ecclesie de Castroferreo post Generale Concilium Lugdunense fuerat assecutus, et iuxta tenorem constitutionis in ipso Concilio edite per felicis recordationis Gregorium Pa-

pam X. predecessorem nostrum, ordinem presbiteratus non receperat infra annum, propter quod erat inhabilis ad huiusmodi confirmationis beneficium obtinendum, inhibuisse tibi dicitur, ne dictam electionem aliquatenus confirmares, sicque pretextu inhibitionis huiusmodi dicta Waradiensis Ecclesia, vacationis incommoda compellitur experiri. Cum itaque, sicut asseritur, dicta Ecclesia de Castroferreo non Parochialis, sed Collegiata existat, ita quod ad Prepositaram ipsam se dicta constitutio, que tantum de Parochialibus Ecclesiis et assumptis ad ipsarum regimen loquitur, non extendit, pro parte dictorum Electi et Capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc de benignitate Sedis Apostolice curaremus. Nos autem predicte Waradiensi Ecclesie, ne ulteriori vacationi subiaceat, paterna volentes sollicitudine providere, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus veris existentibus supradictis, tu, predicte Archiepiscope, cum eorum altero, si omnes hiis exequendis nequiveritis interesse, inquisita de modo electionis ac studiis eligentium, ac Electi meritis diligentius veritate, si dictam electionem inveneritis alias de persona ydonea canonice celebratam, auctoritate nostra confirmetis eandem, facientes a suis subditis eidem Electo reverentiam et obedientiam debitam exhiberi, ac nichilominus tu, prefate Archiepiscope, adiunctis tibi duobus vel tribus Episcopis, gratiam et communionem Apostolice Sedis habentibus, predicto Electo munus consecrationis impendas. Alioquin eadem electione rite cassata, extunc celebranda electio predicte Waradiensis Ecclesie ad eos, ad quos de jure pertinet, devolvatur. Datum apud Urbem-Veterem XIIII. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno secundo.

(IV. Márton pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 350. l.)

148.

IV. Márton pápa IV. László magyar királyt biztosítja, hogy néhány plébánosnak Fülöp fermói püspök és apostoli követ általi kinevezése, a magyar király egyházi védjogának kárára nem lesz. 1282.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Ladislao Regi Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Sicut porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, venerabilis frater noster Philippus Firmanus Episcopus, tunc in illis partibus Apostolice Sedis Legatus, ea occasione, quod ipse in personam tuam, quamquam post appellationem pro parte tua ad Sedem Apostolicam legitime interiectam, excommunicationis sententiam promulgaret, in nonnullis Regni tui Ecclesiis tunc vacantibus, quarum Patronus existis, aliquos in plebanos, in quibusdam vero Rectores instituit a te minime presentatos: quare a nobis humiliter postulasti, ut providere in hac parte tibi, ne per hoc imposterum iuris tui tibi competentis in ipsis Ecclesiis dispendium patiaris, de oportuno remedio paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, premissis veris existentibus, per institutiones huiusmodi taliter factas in sepedictis Ecclesiis ab Episcopo memorato nullum tibi, tuisve successoribus possit generari preiudicium vel obstaculum interponi, quominus, quotiens Ecclesias ipsas vacare contigerit, ad eas idoneas personas, prout ad te pertinet, et consueuit hactenus fieri, representes. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Montem-Flasconem V. kalendas Septembris. (Pontificatus nostri) anno secundo.

(IV. Márton pápa Regestáiból Theiner id. m. I. köt. 350. l.)

149.

Máté nádor határozata, mely a harczoló udvarnokok régi sza badságát megerősíti. 1282.

Nos M. Palatinus Comes Posoniensis, Sosproniensis, Simighiensis et Judex Cumanorum tenore presencium significamus, quibus expedit universis : quod filii Comitum Udvarnicorum ad nostram accedentes presenciam retulerunt: quod cum iuxta antiquam et approbatam libertatem eorum sub vexillo Regio, tamquam Regales servientes exercituare debuissent, et ad presenciam Palatini sub testimonio Capitulorum — aliorum locorum conventualium — in omnibus causis — et non per generales prestaldos Udvarnicorum evocari; nunc post mortem Regis Stephani inclite recordacionis in suis libertatibus plurimum essent contra iusticiam agravati, petentes instantissime, ut ipsos libertati eorum antique et approbate restitueremus equitatis gracia svadente. Sciscitari siquidem, et certificari volentes, utrum dictis eorum veritas in hac parte suffragetur nec ne, scivimus et comperimus, quod ipsi filii Comitum Udvarnicorum juxta ordinacionem Serenissimi Regis Stephani sub vexillo Regio exercituare tenerentur, sicut ipsorum libertas requirebat antiqua et approbata, et ad presenciam Palatini cum testimonio Capituli citari. Nos itaque eosdem filios Comitum Udvarnicorum in suis libertatibus illesos conservare cupientes libertati eorum antique reddidimus et restituimus pleno iure, volentes : quod sub vexillo Regio exercituare teneantur, et generalis prestaldus Udvarnicorum nec descendere possit super ipsos, nec eciam eos judicare, vel citare, sed citentur iuxta libertatem eorundem. Datum Albe in crastino Sancti Bartholomei anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo.

(Bartal, Csallóköz történeti vázlata, Pest 1860. 38. l.)

150.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Ceuteu uzuri lakos, és annak fia Péter Bed nevü szolgájokat szabaddá bocsátották.
1282.

A. B. C. D.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Posoniensis Ecclesie oraciones in Domino Jesu Christo. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peuenire, quod Petrus filius Centew de villa Vzur coram nobis personaliter comparens confessus est oraculo uiue uocis, quod quia pater eius predictus Centeu in lecto egritudinis existens diem extremam volens operibus misericordie sublevare, quemdam seruum suum empticium Bed nomine, filium Zegew, perpetue in filios filiorum donauerit et restituerit libertati, sic et idem ipse Petrus pro Deo et pro remedio ac salute anime patris sui et eciam pro remedio anime sue eundem Bed eciam coram nobis presencialiter constitutum reddidit et restituit libertati, dando eidem plenam et liberam facultatem vbicunque et apud quoscunque voluerit commorandi, ita quod de cetero nec ipse Petrus, nec filij sui uel heredes seu successores, nec cognati uel consanguinei seu extranei ipsum Bed racione pristine seruitutis possint uel debeant aliquatenus molestare, sed idem Bed a nexu pristine condicionis sue penitus exutus cum omni posteritate sua perpetua gaudeat libertate testimonio presentis priuilegij perhemniter valituri. In cujus rei testimonium et firmitatem presentes nostras concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. octuagesimo secundo in tercia die proxima post festum Sancti Johannis Baptiste.

(Hártya. A zöld selymen függött pecsét hiányzik. A pozsonykáptalani országos levéltárból. Capsa XIV. Fasc. 23. Nro 18. *Knauz.*)

151.

Chene Chugut fia Margit és Agnes szolgálóit Lukácsnak a pozsonyi káptalan előtt bevallja. 1282.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Posoniensis Ecclesie salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod constitutis coram nobis personaliter Luca filio Jovan de Corcha ex una parte, et ex altera quodam, qui se dixit uocari Chene filium Chugut de Luche, cuius persona nobis non fuit bene nota, sicut postmodum certificati fuimus de eiusdem persona per Belid filium Buzad, et Turcha de Corcha, nobiles de Comitatu Posoniensi, ac per Mathiam filium Hyrchul jobagionem castri Posoniensis; qui quidem Chene est confessus oraculo viue uocis, quod ipse duas ancillas suas empticias, Margaretam et Agnes vocatas, eciam coram nobis personaliter conparentes, et se esse ancillas ipsius Cene pure confitentes, predicto Luce pro quinque marcis vendidisset, quas quidem quinque marcas idem Cene ab ipso Luca dixit se recepisse plenarie et habere, obligans se, quod nec idem Cene, nec sui cognati predictas ancillas ab eodem Luca ullo unquam tempore poterunt reuocare. Datum in vigilia Sancti Laurencij anno Domini M° CC° octuagesimo secundo.

A B C D

Jegyzet. Az Amade grófok csalóközi levéltárából másolta Horvát István. *Érdy.*

152.

A váczi káptalan bizonyítja, hogy Herichou várát és tartozékait Biter fizette ki egészen; Mikó pedig, kinek felét kellett volna fizetnie, meg sem jelent. 1282.

Nos Capitulum Waciensis Ecclesie significamus quibus expedit memorie commendantes, quod cum secundum continenciam litterarum Comitis Oliueri, Vice-Judicis Curie domini Regis, Comes Biter, et Micou filius Detrici pro quodam castro Herichou uocato cum possessionibus et attinencijs suis centum marcas soluere communiter debuissent, scilicet quinquaginta marcas Biter Comes, alias uero Micou memoratus, ipsis terminis aduenientibus omnes centum marcas persoluit Comes Biter, Micou uero nec uenit nec misit aliquem comparentem ad aliquam solucionem faciendam. Datum tercio die octauarum Pasce anno Domini M° CC° LXXX° secundo.

Jegyzet. Bőrhártyára írott zárt levél, mely szokás szerint már eltűnt kerek pecséttel volt lepecsételve, hátirat nélkül. A kékkői levéltárban : AL. n. 18. *Érdy.*)

153.

Az ipolysági konvent bizonysága, hogy Palást helység birtokosai, a köztök fenforgó pert barátságosan kiegyenlítették. 1282.

Nos Ladyzlaus Prepositus et Conventus fratrum Ordinis Premonstratensium de Saag memorie commendantes significamus universis, quod constituti coram nobis personaliter Bogona, Job, filij Iwanka; item Lyptov et Nicolaus filij Gurk; ac Chepan filius Louk pro seipsis et pro Martino dicto Konez fratre eorundem ab una parte; Almus, Fabian, filij Guze, pro se et pro Michaele filio Micos; item Urbanus, Michael filij Thome, et Johannes filius Leustachii de Palasth, pro se et pro filijs Ponoch, videlicet pro Bence et Pousa de eadem ex altera, dixerunt viva voce, quod causa, que inter ipsos vertebatur ante presenciam domini Palatini super divisione terre eorundem hereditarie Palasth vocate, per arbitrium virorum proborum ipsis volentibus et consencientibus in hunc modum exstitisset ordinata et decisa: quod predicta terra Palasth, porcio videlicet eorundem in duas partes equales divisa; media pars cum omnibus utilitatibus suis cessit Bogona, Job, Lyptov, Martino, et Nicolao, ac Chepano antedictis jure hereditario perpetuo possidenda, tenenda et habenda; media vero pars cessit Almus, Fabiano et Michaeli filio Mykus, item Urbano, Michelo (így) fratri eiusdem, et Johanni filio Leustachii, Bence et Pousa filijs Ponoch antedictis, similiter perpetuo possidenda; et ipsius medie partis, que Almus cum cognatis suis est devoluta, pars media, videlicet quarta pars terre tocius in feneto et alijs utilitatibus separata et distincta cessit Almus, Fabyano et Mychaeli filio Mykus antedictis perpetuo possidenda. Mete autem terrarum eorum, videlicet Almus, Fabyani et Mychael arabilium in primo loco existencium circa sessum curie eorundem hoc ordine distinguntur: incipit enim retro curiam filiorum Lewa juxta fluvium Lytova, sunt due mete terree; inde transit in

longitudine terre arabilis, venit dirrecte ad angulum curie Lewa, tenet metas cum eodem, currit circa curiam eandem in longitudine, venit sub *berch*, et ibi sunt due mete prope Ecclesiam circa viam magnam a parte inferiori, ibique angulatur; inde vadit dirrecte in latere ejusdem *berch* ad pyrum, quod est in curia Bogona ante domum ejusdem, quod est pro meta et termino deputatum, et ibi angulatur iterato; demum venit dirrecte per metas continuas iterato super fluvium Lyptowa, et ibi infra molendinum Chysk circa littus fluvii predicti juxta salicem sunt due mete terree, ibi cadit in ipsum fluvium Lytowa, descendit in eodem ad metas priores, et sic terminatur meta terrarum arabilium in primo loco existencium. In secundo autem loco in valle circa fluvium Lytava hoc ordine distingwuntur: incipit enim, ubi Ilsank potok cadit (in) Lytova, et ab altera parte iuxta eundem fluvium sunt due mete; inde vadit per longitudinem terre arabilis, tenet metas cum Bogona et fratribus suis, venit ad viam, que venit de castro Ders et Demetrii Comitum, et ibi iuxta viam eandem sub monte est quidam lapis magnus pro meta deputatus, ibique angulatur; inde per eandem viam spacio competenti venit, ubi sunt due mete juxta viam, ibique angulatur iterato; inde reflectitur, venit dirrecte iterato ad fluvium Lyptova super Guze haza, et ibi sunt due mete sub quadam arbore (que) *szeyl* nuncupatur vulgariter, ibi cadit in sepedictum fluvium Lyptova, descendit in eodem et venit ad metas priores, et sic terminautur mete terrarum arabilium in secundo loco existencium. In tercio autem loco in monte: Incipit in vertice montis circa summitatem Sezde potoka, ubi sunt due mete, vadit dirrecte per terras arabiles ad viam, que venit de Buzauk, et ibi juxta eandem sunt due mete in fine terre arabilis, ibique angulatur; inde per eandem viam currendo tendit versus Buzauk, ubi circa viam sunt due mete angulares; deinde reflectitur dirrecte super Lypouch potoka, et ibi in summitate eidem potok sunt due mete, et sic terminantur mete terrarum arabilium in tercio loco existencium. Prata autem et feneta metis non distinxerunt, sed secundum cursum predicte divisionis prata et feneta inter se ipsos, prout cuilibet eorum dari expedit, distribuerunt, silvas vero et nemora ac alias utilitates in eis existentes in usum com-

munes relinquerunt. Obligaverunt se predicti, qui personaliter adstiterunt coram nobis pro se ipsis, et pro his, pro quibus adstiterunt, ut si que parcium hanc divisionem vellet infringere, sex marcas argenti ante litem solvere teneretur parti, que predictam divisionem teneret et acceptaret. Vt igitur hec divisio stabiliter perseveret inter partes presentes, in testimonium concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum anno Domini M° CC° LXX° secundo.

(Hártyán, a pecsét hiányzik, de vörös zöld selyem zsinora megvan. A lontói közbirtokosság levéltárában. Capsa A. Fasc. I. Nr. 2. Közli *Rakovszky István* úr.)

154.

A spalatoi papság János érsek ellen felebbezést intéz a pápához. 1282.

In nomine Domini eterni Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, indiccione decima, die tercio intrante Julii. Regnante Domino nostro Ladislao, Serenissimo Rege Ungarie; temporibus domini Johannis, venerabilis Spalatensis Archiepiscopi, domini Mladenni Stepconis de Briberio, Incliti Comitis, domini Viti Zerni Merge de Jadera egregii Potestatis; Joseb Petri, Madij Miche, Johannis Dabrali Judicum. Dominus Duimus Archidiaconus et sindicus Capituli Spalatensis, et ipsum Capitulum universum, ac dominus Georgius Abbas Monasterii Sancti Stephani, et dominus Alferius Abbas Sancte Marie de Solta, et domina Stana Abbatissa Monasterii Sancti Benedicti, et Capellani ac universus Clerus Ciuitatis Spaleti omnes unanimiter taliter in scriptis a predicto domino Archiepiscopo appellandum duxerunt. Nos Duimus Archidiaconus et sindicus Capituli predicti et universum Capitulum,

et Georgius Abbas Sancti Stephani, ac Alferius Abbas Sancte Marie de Solta, et Stana Abatissa Sancti Benedicti, et Capellani ac universus Clerus Ciuitatis, sentientes nos omnes in omnibus nostris iuribus et alijs causis quam pluribus per uenerabilem patrem dominum Johannem predictum Archiepiscopum nostrum communiter et specialiter agrauatos, ac ipsum pleue cognoscentes in multis inepte et furiose procedere contra Deum et statuta sanctorum patrum, unde si nostrum ius contra ipsum prosequentes et defendentes ouiando sibi in suis prauis et ineptis ac injustis somniis et actibus contra nos comuniter uel in quemlibet specialiter uellet per aliquam sentenciam uel per aliquod mandatum iniuste procedere, Sedem Apostolicam in scriptis apelamus et apellatorias instanter unanimiter omnes et communiter petimus. Actum in palacio domini Archiepiscopi presente ipso domino Archiepiscopo et ibidem astante ac apellationem predictam diligenter ascultante, et presentibus nobilibus uiris Camurcio Petri, Martino Simonis, Thomasio Dusazze, Gaudio Calendi et aliis.

Ego Lucanus Dese examinaui.

Ego vero domnus Lucas Canonicus et iuratus Notarius Spalatensis hijs interfui, et ut in scriptis predicte apellacionis inueni et audiui, legi, rogatus scripsi et roboraui.

(A bécsi cs. k. titkos levéltárban őrzött hiteles másolat után.)

155.

IV. László király Mátyás gróf és testvérei számára megújítja IV. Bélának több Vas megyei helységekre vonatkozó adományát.
1283.

Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendamus significantes quibus expedit vniuersis presencium per tenorem : Quod nos propter merita seruiciorum Comitis Mathie, Irenei, Olber, Johannis, Pauli et Stephani fratrum suorum, que ijdem in diuersis Regni nostri expedicionibus constanter impenderunt et deuote, possessiones eorum Cheyne, Kazaar, Path, Chemerei, Füzes, Ey et Zarvaskend vocatas in Comitatu Castri ferrei existentes, quas ijdem ex collacione Bele aui nostri eminentissimi felicis recordacionis se dicunt possidere, et per dominum Stephanum patrem nostrum confirmatam esse collacionem aui nostri antedictam, eisdem reliquimus imo contulimus in perpetuum possidendas et habendas in filios filiorum eo modo eaque plenitudine, quemadmodum ex collacione et confirmacione aui nostri et patris nostri dignoscuntur possedisse ; ita vt si idem Comes Mathias sine herede decesserit, ijdem Ireneus, Johannes, Olber, Paulus et Stephanus sine inquietacione cujuslibet in perpetuum possidere valeant pariter et habere possessiones antedictas. Datum in Ghojne in die Cinerum anno Domini M° CC° LXXX° tercio.

(IV. László király ugyanazon évi megerősítő okmányából.)

156.

IV. László király megerősíti ugyanazon adományát. 1283.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad hoc Deus super specula eminenti Majestatem Regiam protulit et euexit, vt in apicibus summi culminis eleuata perspicuis circumspeccionis oculis contempletur merita singulorum, et si ex debito generalis gubernaculi vniuersaliter se obnoxium respiciat vniuersis; illos tamen, quos approbauit fidelitas, sedula seruiciorum extulerunt merita, suorum commendauit obsequium indefessum, Regalem expedit prosequi munificenciam amplioribus donatiuis et commendacionis magnificis titulis amplioris, vt exemplo hujusmodi in ceteris zelus fidelitatis (et) obsequiorum feruens desiderium amplietur. Hinc est quod Comes Mathias, Ireneus, Olber, Johannes, Paulus et Stephanus fratres ejusdem Mathie Comitis, Majestatis nostre presenciam adeuntes implorare clemenciam Regiam supplicacione humili curarunt, super eo videlicet, quod graciam confirmacionis, approbacionis, ratihabicionis et prorogacionis Regie donacionis de persona ipsius Comitis Mathie in fratres suos predictos facte, si ipsum absque heredibus masculinis decedere contingeret, robore Regalis priuilegii muniremus, prefatam graciam et munificenciam eisdem a nobis factam per quasdam nostras patentes litteras in nostram memoriam et pleniorem noticiam reducentes. Quarum siquidem tenor talis est:

Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik a király adománya mint 155 sz. a.)

Nos igitur ex sollicitudine Regalis officii recensentes fidelitatum opera, obsequiorum merita, actus strenuos militares, in quibus exercendis et expediendis temporibus Regum Illustrium, Bele videlicet Incliti aui nostri, et Stephani patris

nostri recordacionum felicium, et nostris desudarunt, ac in diuersis expedicionibus tam generalibus quam particularibus et confiniorum Regni nostri deffensionibus mortis pericula non pauentes non sine sui sanguinis effusione sudoribus bellicis militarunt et fidelitatis indefesse ardores animo conceptos exhibicione operum luce clarius demonstrarunt; prefatas possessiones vniuersas et singulas a predicto Rege Bela, Inclyto auo nostro, suis meritoriis seruiciis et fidelitatis operibus acquisitas et a predicto patre nostro Rege Illustri ratificatas approbatas et confirmatas, authoritate presencium approbamus et valituras jure perpetuo confirmamus, et nichilominus ad majorem cautelam et abundanciam stabilitatis perpetue de nouo conferimus, concedimus et donamus, prorogacionem eciam collacionis possessionum de persona ipsius Comitis Mathie, si eum sine heredibus masculinis, quod absit, decedere contingeret, in personas fratrum suorum factam et deriuatam, munimine litterarum presencium innouamus ita, vt immediate nulla alia collacione Regia expectata in prefatos fratres suos ex nunc vt ex tunc ex munificencia Regia possessiones prehabite sint translate. Vt igitur hujus rei series robur obtineat perpetue firmitatis, presentes litteras nostras concessimus duplicis sigili nostri munimine roboratas. Datum per manus viri discreti magistri Bartholomei aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, quinto decimo kalendas Maji, indiccione vndecima, Regni autem nostri anno vndecimo

(Szarvaskendi Sibrik Ferencz peréből Niczky, Szecsődy stb. családbéliek ellen, mely 1716. september 1-jén felvétetett, a k. magyar Curia levéltárában 4. 3804. szám alatt.)

157.

IV. László király parancsolja, hogy a soproni polgárok, kik a város falain kivüll kezdtek lakni, a városba visszamenjenek.
1283.

Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie fidelibus suis vniuersis quibus presentes ostendentur salutem et graciam. Ex relacione fidelium nostrorum hospitum de Sopro nio intelleximus, quod quidam ex eis derelicto castro nostro Supruniensi in rure continue residerent, et ab honere et seruicio dicti castri se penitus retraxissent, et magna pars ipsius castri per hoc uacua haberetur. Vnde cum ipsum castrum nostrum sit in confinio, et continuis vigilijs et custodijs debeat conseruari, uolumus vt vniuersi in ipso castro porcionem habentes, continuam faciant residenciam in eodem, alioquin concessimus ipsis hospitibus, vt vtilitates possessionum ad ipsam ciuitatcm pertinencium percipiant in ipso castro residentes, nullam extra residentibus dando porcionem de eisdem. Datum piope Iwanushyda in festo Sancti Jakobi Apostoli, anno Domini M-⁰ CC-⁰ octuagesimo tercio.

(Nagy hátpecséttel. Eredetie Sopron város levéltárában.
Halvani Mihály.)

158.

IV. László király megerősíti Erzsébet királyné azon intézkedését, mely által Erzsébet kir. herczegasszony és apácza kivánatához képest Berény helységet a veszprémi egyháznak adományozta. 1283.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Regie congruit Majestati, rite negocijs ordinatis secundum facienciam beneplacitum atque votum, Regalis auctoracionis munificenciam impertiri, ut dignitas Excellencie principalis racioni consentanea approbet et acceptet, sueque sublimitatis ex — — — elata potestas emologet, seu ratificet congruencius limitata — — — auctoritatis afflato quasi spiritu — — — vivificet minus gesta — — — inibi, ubi necessitudinis est — — — et maxime sicubi Sacrosanctis Ecclesijs fit largicio Domino famulancium usibus pijssimis mancipata. Hinc est, quod consors nostra charissima, soror eciam nostra amantissima domina Elisabet de Insula, virgo Deo dicata, nobis concorditer retulerunt, quod consors nostra charissima domine Elisabeth nostre sorori dedisset, seu donasset in Simigiensi prouincia vnam villam Reginalem Beren vocatam, supplicantes communiter, quatenus donacionem predictam ratam dignaremur habere, Regioque priuilegio communire; maxime, quia soror nostra charissima eandem villam Beren sue duntaxat persone affeccione donatam, non Ecclesie, sive Monasterio de Insula elargitam, volebat et devotissime intendebat pro anima patris nostri, Illustris Regis Stephani, Ecclesie videlicet Wesprimiensi, Beato scilicet Michaeli Archangelorum Principi condonare, ut depauperata prememorata Wesprimiensis Ecclesia nostre teneritatis in tempore incursibus tyrannorum, Regni nostri Baronum, eadem villa, seu predium Prepositalis

— — — que Preposito, qui pro tempore fuerit, seu Prepositure — — — commodis perpetuo applicetur, sicut in privilegijs sororis nostre charissime nostreque consortis perlegitur manifeste; petentes eciam, quod octo mansiones vduornicorum nostrorum, qui sunt in eadem villa Beren, daremus eidem Ecclesie Wesprimiensi nostra ex parte pro anima patris nostri. Demum consors nostra charissima easdem octo mansiones a nobis titulo permutacionis accipiens, data nobis in concambium villa magna Ladan prope fluvium Saar supra Albam, ut predicta vduornicorum nostrorum concessio, seu donacio facta Ecclesie sit omnino immota. Nos videntes devocionem earum, talique pro concambio dictas octo mansiones vduornicorum eidem nostre consorti concessimus, donacionemque ville Beren Sancte Ecclesie Wesprimiensi factam una cum illis octo mansionibus vduornicorum nostrorum ratam habuimus per omnia, atque gratam presentemque donacionem, seu donaciones antedictas, nostri sigilli duplicis appensione munitam privilegiali firmius firmitate duximus perpetuo roborandam. Datum per manus Magistri B. Prepositi Scepusiensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° octoagesimo tercio, quarto kalendas Decembris, Regni autem nostri anno undecimo.

(Robert Károly 1323-ki megerősítő okmányából, mely őriztetik a veszprémi káptalan levéltárában.)

159.

Erzsébet királynénak ezen adományról szólló okmánya. 1283.

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie universis Christi fidelibus presens scriptum intuentibus salutem in omnium Saluatore. Quoniam terrene Magnificencie decus, et gloria celesti prouisione concessa Principibus, que ipsos supra alios mundi viventes, quibus presunt, magnificat et extollit, ipsorum debet deuocionem intendere, cor, et animum prouocare, Diuine beneplacitum gracie consequi, et placare jugiter operibus pietatis, vt hi specialius Sacrosanctis Ecclesijs, in quibus Dei ministrorum suffragijs venia poscitur peccatorum, donaciones offerant largitiuas, quin imo cercius et immensas, juris notissimi testimonio, quibus Principibus plurima dedit Deus, multorumque fore Dominum, Presidem, et Rectorem. Hinc est, quod virgo Deo devota, domina Elisabeth, sanctimonialis de Insula Virginis Gloriose, nostra cognata charissima, Illustris domini nostri Hungarie Regis soror, quandam villam nostram Reginalem Beren nomine, in Provincia Simighiensi sitam, quam a nobis iam dudum petierat sibi dari, nosque eidem domine Elisabeth, nostre cognate charissime eandem villam seu possessionem Beren nomine, liberalissime dederamus et contuleramus effectualiter ex debito parentele ejusdem nostre cognate persone duntaxat, cum sibi placeret, quidquid penes nos rerum seu possessionum existit, liberalius, ut tenemur, largiri debentes, a qua plurima, videlicet quecunque in rebus preciosissimis, veluti aureis, ditibusque gemmarum clenodijs, parata eciam, seu prompta pecunia, quandocunque opus habuimus indigentes, ab eadem semper ad nostrum accipientes beneplacitum, et optatum; demum dicta nostra cognata charissima domina Elisabeth, ut dictam villam suam, et sibi a nobis jam donatam Beren nomine, quam ob remedium anime Illustris quondam Regis Stephani felicis memorie, sui patris charissimique nostri so-

ceri, Beatissimi Michaelis Archangeli Monasterio videlicet Vesprimiensi donare volebat, et jam eidem Ecclesie revera contulerat, prout poterat, non immerito, sicut possessionem seu villam sue persone absolute donatam, cuicunque volebat persone private, eciam in ejus servicio obsequioque constitute, vel si vellet, Ecclesie cujuscunque partis, ad sui posset beneplacitum condonare libere et secure, sicuti possessionem sue persone liberalissime disposicioni commissam, instans propensius, ut predictam suam donacionem venerabili Vesprimiensi Ecclesie factam, adhuc nostro priuilegio stabilire, ratificare, seu confirmare denuo dignaremur. Nosque ejusdem cognate nostre charissime peticionibus, dum viuimus, condescendere cupientes, predictam villam Beren nomine, supra pluries memoratam, seu donacionem de eadem factam, venerabili Vesprimiensi Ecclesie, ut dictam possessionem eadem Ecclesia inviolabiliter semper et immote possideat, et per eam Vesprimiensis Ecclesie Prepositus, qui pro tempore fuerit in ipsa Prepositura, secundum votum cognate nostre charissime, sic Ecclesie condonantis, quod per eam Preposito, seu Prepositure dicta possessio conferatur, et a nobis, prout ipsa contulerat, modo simili ratificari instancius postulantis, presentis nostri privilegij serie valituram in perpetuum roboramus nostre cognate charissime donacionem, sicut expostulat sanctam et iustam secundum sui cordis desiderium quantum possumus confirmantes, et specialiter Vesprimiensi Ecclesie, ea potissimum racione, quia plurimorum honestorum virorum, et solennium personarum veridica relacione comperimus, quod olim nobilis et magnifica domina Maria Regina Hungarie felicis recordacionis, consors Regis Bele memorie recolende eandem villam Beren nomine eidem Ecclesie Vesprimiensi sue ob remedium anime condonauerat, cum et in villa eadem Beren nomine Vesprimiensis Ecclesia condicionales habeat, et magnam illius territorij porcionem ab antiquissimis temporibus, atque a prima sui fundacione Ecclesie supradicte — —, verum in destruccione Vesprimiensis Ecclesie, proh dolor, nostris in temporibus facta, privilegia super illa donacione confecta, cum omnibus Ecclesie rebus et ornamentis nobis scientibus omnia fuere direpta, et amissa, de quibus quoddam privilegium scissum, minus quasi efficax

in sigillo magna ex parte rupto, nobis eciam extitit presentatum. Vnde per justissimos tam testes, quam alia, ut supra diximus, indicia est compertum, quod cognata nostra charissima merito, et laudabiliter predicte possessionis donacionem in sanctam Vesprimiensem Ecclesiam fecerit circumspecte, quam nos ratam per omnia seu gratam habentes presentis nostri tenore privilegij firmius approbamus. Insuper adicimus eciam, quod cum dominus noster, Rex Illustris, nobis in eadem villa Beren octo contulerit vduornicorum mansiones in concambium specialiter nostrarum possessionum, quas a nobis recepit, videlicet villam magnam Ladan, et aliam villam nomine Beren in Comitatu Albensi super fluvio Saar, prope Albam; nos ad instanciam nostre cognate charissime domine Elisabeth, cui dictam villam Beren contulimus modo et racione predicta, illas similiter octo vduornicorum mansiones in concambium a domino Rege receptas, cum predicta totalitate ville Beren donauimus, ac pari pro hac racione Vesprimiensi Ecclesie, cui dicta Domina Elisabeth nostra cognata possessionem seu villam Beren donauit, nec non cum illa eadem illas octo vduornicorum mansiones per dominum Regem nobis in concambium donatas, ut super hoc Regium patet priuilegium, ac per nos domine Elisabeth nostre cognate, cum tota villa donatas, sicut ville Beren donacionem, sic et illarum octo mansionum sepedictorum vduornicorum possessiones, personas eorum, posteros ac heredes, et omnia queque tenent et possident, et cum suis condicionibus Ecclesie Beati Michaelis Archangeli, similiter, ut predictam donacionem ville Beren ratificamus ac authoritate presencium duraturam in perpetuum confirmamus. In cujus rei firmitatem et sanctissimum testimonium presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome Dei gracia Episcopi Vaciensis, aule nostre Cancellarij, fidelis nostri, anno Domini M° CC° octuagesimo tercio; quarto kalendas Octobris.

(Eredetie a veszprémi káptalan levéltárában. Itt annak csak másolatát használhattuk.)

160.

Karchai Tamás és gróf Mihály egyezkednek Peech, Tamás nővére és Mihály nagynénye jegy- és negyedilletménye ügyében. 1283.

A B C

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Domasa (így) filius Zologus de Karcha ab una parte et Michael filius Bodow quondam Comitis vduornicorum de Chollokuz pro se et fratribus suis ab altera coram nobis constituti sunt confessi, quod licet olim super dote et dotalicijs sororis ipsius Domasa Peech vocate, relicte Martini fratris eiusdem Bodow Comitis, nec non super rebus paraffernalibus — — per eundem Domasa ad ipsum Bodow Comitem fuisset mota materia questionis, ad ultimum tamen super eadem dote et dotalicijs et rebus cum predicta domina asportatis inter ipsos amicabilis composicio in viginti quinque marcis facta fuisset, mediantibus probis viris, quas videlicet viginti quinque marcas prefatus Domasa ab ipso Bodow Comite iam dudum coram nobis se asseruit plenarie recepisse, reddens in nostri presencia ipsum Bodow Comitem et Michaelem filium suum simul cum fratribus suis super eadem dote et dotalicijs, necnon eciam super rebus cum prefata sorore sua — — penitus expeditos; obligando se, quod quicunque in posterum ipsum Michaelem et fratres suos racione eiusdem dotis et dotalicijs (így), necnon eciam super rebus predictis inpetere attemptaret, ipse Domasa teneretur eos expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini millesimo CC° octuagesimo tercio.

(Hártya. Az írás elleven már mosódva, csak nagy bajjal volt olvasható. — A pecsét veres selymen függ. — Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 22. Nr. 13. *Knauz Nándor.)*

161.

A váradi káptalan bizonyságot tesz arról, hogy Ótományi Buthmér és fia Buda, Kraszna vármegyei Ótomány nevü örökös földjöket Márk bán fiainak Lászlónak és Mihálynak 20 márkáért örökösen eladta. Kelt pünkösd hetében. 1283.

Capitulum Waradiensis Ecclesie omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum tenore presencium volumus peruenire, quod Butmer filius Buna, et Buda filius eiusdem de Otman ex una parte, magister Ladizlaus filius Marcij Bani pro se, et Mychaele fratre suo ex altera, coram nobis personaliter constituti, idem Buthmer et Buda, filius suus viua uoce, sana mente spontaneaque voluntate sunt confessi, quod quandam terram eorum hereditariam Athoman appellatam in Comitatu de Karazna existentem, conseneientibus et permittentibus commetaneis diete terre, sicut dixerunt cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs suis, sub metis ueteribus et antiquis, quibus possessa per ipsos et proauos ipsorum pro uiginti marcis distraxissent, magistro Ladizlao, et fratri suo Mychaeli supradictis, et per ipsos ipsorum heredibus heredumque successoribus irreuocabiliter perpetuo possidendam et habendam pleno iure, quas quidem uiginti marcas plene dixerunt se recepisse ab eisdem, obligantes seipsos, quod ab omnibus inpetitoribus tam propinquis quam remotis, qui racione terre uendite dictos magistrum Ladyzlaum seu Myhaelem fratrem suum uel ipsorum heredes molestare niterentur in aliquo, proprijs expedirent laboribus et expensis eosdem, dictam terram eisdem pacifice relinquendum (igy). In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum in octauis Pentecostes, anno Domini M-o CC-o octuagesimo tercio. Domino Batur Preposito, Emy-

rico Lectore, Iwan Cantore, Benedicto Custode magistris existentibus.

(Eredetije a b. Wesselényi család levéltárában. — A kék és sárga selyem zsinóron függő pecsét hegyes monyoró alaku; rajta Sz. Mária koronás fővel; ölében a kisded Jézussal. Körirata: S. Capituli Wa radiensis Eccles(ie). *Szabó Károly.)*

162.

Apor erdélyi vajda a dézsvári vendégeket biztosítja, hogy őket a IV. László által adott kiváltságlevelökben foglalt szabadalmaikban megtartja. 1283.

Nos Opour Woyuoda T(ransiluanu)s, Comes de Zonuk memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod villicus et hospites (de Dees)war, ad nostram accedentes presenciam, exhibuerunt nobis priuilegium domini nostri Ladislai illustris Regis Hungarie su(per liberta)te eorum datum et concessum, videlicet, quod a iurisdiccione Comitis de Zonuk, Curialis Comitis, et jobagionum eiusdem Castri, penitus sint exempti ita, quod ipsos non possint iudicare, sed in causis omnibus inter ipsos exortis, uillicus eorundem iudicabit pro tempore constitutus; et petiuerunt a nobis diligenti cum instancia, vt eosdem in ipsa libertate per dominum Regem eisdem data et concessa conseruaremus. Nos igitur peticionibus dictorum hospitum iustis et legitimis annuentes predictum priuilegium ipsorum libertatem continentem (igy) ratum per omnia habentes, vt tenemur, et acceptum, eosdem hospites in premissa libertate uolumus et intendimus gratulari. Dicimus eciam, quod causas extraneorum, si ibidem aliquas contingat habere, idem villicus iudicabit; plures eciam articulos, quia longum erant ad scribendum ipsum priuile-

gium tenente, et habente. Datum anno Domini M° CC° octuagesimo iij-o.

(Eredetije Dézs város levéltárában. *Szabó Károly.*)

163.

IV. László király Zalauth gróf fiai számára megerősíti V. Istvánnak, akkor ifjabb királynak, Gragyssa nevü birtokra vonatkozó adományát. 1284.

Nos Ladizlaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendantes significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod Comes Zalauth filius Comitis Mychaelis, et Magister Albertus filius eiusdem, ad nostram accedentes presenciam exhibuerunt nobis patentes litteras Stephani Regis karissimi patris nostri felicis recordacionis, super collacione terre Gragyssa uocate confectas, petentes cum instancia, vt ipsas litteras patris nostri ratas haberemus et nostris patentibus litteris dignaremur confirmare. Quarum quidem litterarum tenor talis est :

Nos St(ephanus) junior Rex Hungarie stb. (következik István király adománya, mely olvasható Okmánytárunk III. kötetében a. 122. l.)

Nos itaque dignis et iustis peticionibus predictorum Comitis Zalauth et Alberti filij sui fauorabiliter inclinati, ipsis patentes litteras patris nostri super collacione prefate terre confectas auctoritate presencium duximus confirmandas. Et sicut idem Stephanus Rex pater noster karissimus ipsi Comiti Zalauth contulerat ipsam terram ; ita et nos eandem terram castri nostri de Wngh dedimus et contulimus ipsi Comiti Zalauth et Alberto filio eiusdem iure perpetuo possidendam. Et quandocunque nobis presentes fuerint reportate, nostrum priuilegium eisdem super collacione terre

predicte concedemus. Datum prope Kevrew tercio die post festum Beate Marie Magdalene anno Domini M° CC° octuagesimo quarto.

(Az egri káptalan 1385-ki átiratából.)

164.

Erzsébet királyné Thos nevü földet István főtárnokmesterének adományozza. 1284.

Elysabeth Dei gracia Regina Vngarie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Fidelitas et merita subjectorum ad ampliandam Regalem graciam in subditis Celsidutinem Regiam non immerito attrahunt et inuitant, vt hoc exemplo fideles ad inquirende gracie cupiditatem multo forcius accedant. Proinde ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus pervenire; quod cum Stephanus Comes tawarnicorum nostrorum frater Sydo fidelis noster a primeuis puericie sue temporibus domino Stephano quondam Illustri Regi Vngarie pie recordacionis, et Domino Ladislao Regi consorti nostro charissimo, Regno et Corone Regie ac nobis eximie fidelitatis opera, meritoria obsequia et fidelissimos famulatus in diuersis articulis et negociis Regni, maxime et specialiter in conflictu, quem idem dominus noster Rex habuit contra perfidiam Cumanorum ipsum indebite persequencium, eidem domino nostro Regi, prout aliis Baronibus nostris referentibus intelleximus, vsque ad felicem expedicionem tocius negocii sui constanter assistens, committendo se casibus fortune, periculis variis rerum et persone, pro fidelitatis ardore impendisset, sicut laudabiliter et fideliter sic devote. Nos pro hujusmodi et aliis virtutibus ejusdem Comitis

Stephani, quas ad presens singillatim exprimere non volumus, quandam terram sanctiferorum nostrorum Thos vocatam in Comitatu Pestiensi existentem cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis vniversis dedimus, donavimus et contulimus eidem, et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus perpetuo et irrevocabiliter possidendam. Mete autem ipsius terre, quemadmodum in priuilegio ejusdem domini nostri Regis comperimus evidenter, hoc ordine distinquuntur. Incipit enim prima meta a parte septentrionali inter terram Prepositi de Sydo Lugos vocatam, et inter terram Thos, et metatim protenditur septem metis veteribus, juxta quas septem novas metas erexerunt, ad quendam montem versus orientem ascendendo ad locum Frigetarka vocatum, qui habetur pro meta in magna via, que vadit versus Pazthuh, vbi terminatur terra Prepositi prenotati; conterminat postmodum ipsa terra Thos terre nobilium de genere Akus; deinde descendendo a parte dextra sunt due arbores *thuulfa* vocate in una meta antiqua, juxta quam aliam novam erexerunt; hinc versus partem meridionalem descendit Thuulgwelg, et ibi est meta Chepani filii Hiden; deinde ascendit ad Monorofeu, et ibi sunt due mete antique, et alie due noviter erecte; inde ascendit montem, et ibi est una antiqua meta, et alia noua nouiter erecta, et de monte descendit ad magnam viam, que vadit ad Hotuon, ubi est una antiqua meta, et alia noua nouiter erecta a dextra parte Zumoryn, et descendit ad aquam Kalgria, que separat terram dicti Chepani a terra Comitis Stephani supradicti; inde versus partem occidentalem transit dictam aquam ad Futrodfew, et ibi est una antiqua meta, et alia noua nouiter erecta; inde ascendit ad Chamba haraztha, vbi in parte inferiori est una antiqua meta, et alia noua nouiter erecta, et in monte sub una magna arbore sunt due mete, una antiqua, alia nova noviter erecta, et ibi separatur a terra Chepani supradicti et conterminatur terre Stephani et suorum agnatorum Liguet vocate. Et sic mete terre Thos predicte terminantur. Ut igitur hujus nostre donacionis seu collacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum valeat per quempiam in irritum reuocari, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Thome

Episcopi Waciensis aule nostre Cancellarii, fidelis nostri, anno Domini M° CC° octuagesimo quarto.

(Eredetie a leleszi konvent levéltárában.)

165.

Erzsébet idősb királyné, Theodórnak, IV. László király jegyzőjének, és általa öcscsének Lászlónak Dench és Ztupán birtokait adományozza. 1284.

(E)lisabeth Dei gracia maior Regina Hungarie, Ducissa de Macho et de Bozna, vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. (D)euote fidelitatis studia dignis solent premijs compensari et fructum percipere in laudem et gloriam premiorum. (P)roinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire quod cum nobilis et discretus uir magister Theodorus Prepositus Zybiniensis, aule domini Ladizlay Incliti Regis Hungarie karissimi filij nostri notarius specialis, eidem domino Regi iugi laborum frequencia fideliter seruierit et deuote, nobisque consequenter in omnibus nostris negocijs et agendis gratum semper inpenderit famulatum; nos consideratis fidelitatibus et obsequijs eiusdem Theodori Prepositi, quibus coram nostris oculis se reddidit multipliciter commendatum, quasdam terras nostras, ad curtem nostram de Segusdino olim pertinentes, Deench et Ztupan uocatas ac ad easdem spectantes. uacuas et habitatoribus destitutas, ab eadem curte nostra Segusdiensi exceptas penitus et exemptas, eidem Theodoro Preposito, et per eum Comiti Ladizlao fratri suo, ac ipsius heredibus heredumque suorum successoribus de plenitudine gracie nostre dedimus, donauimus et contulimus perpetuo pacifice possidendas. (U)t igitur hec nostra donacio robur perpetue firmi-

tatis optineat nec ullo unquam tempore valcat retractari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. (D)atum per manus discreti uiri magistri Vrbazij Prepositi de Posoga, aule nostre Cancellarij fidelis nostri, anno Domini M° CC° octuagesimo quarto.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, melynek eltűnt pecséte, az alúl fölhajtott hártya hasadékaiból vörös, fehér és zöld selyemről függött. Őrízteték a Hunt-Pázmántól származott Kubinyi nemzetség levéltárában. *Érdy.*

166.

Miklós nádor és pozsonyi főispán elismeri, hogy a pozsonyi prépostság jobbágyai az ő hatósága alól felmentvék. 1284.

Nos Nicolaus Palatinus et Comes Posoniensis significamus vniuersis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod cum ordinaciones facte per Regiam Maiestatem, tam circa donaciones, siue largiciones possessionum seu terrarum, quam circa collacionem libertatum et beneficia exempcionum, Ecclesijs maxime et Ecclesiarum populis, perpetua debeant firmitate inniti, nos priuilegia domini nostri Regis, per discretum uirum magistrum N. Prepositum Posoniensem nobis exhibita, in quibus populi Prepositure et Ecclesie ipsius Posoniensis a jurisdiccione, subieccione, potestate et judicio Comitis Posoniensis et eorum (így) officialium, necnon ab omni honere collectarum exempti de gracia dinoscuntur, prona fidelitate, ac fideli promptitudine honorantes, uolentesque ordinacionibus Regijs ex nostre uotiue fidelitatis debito obsequi et parere, dictos populos prefate Prepositure et Ecclesie Posoniensis uti permisimus et gaudere concessimus, concessa eis et indulta per Regiam Celsidutinem, circa premissos graciarum articulos, libertate; liberantes eosdem et absoluentes

a nostra et nostrorum officialium judiciaria potestate, mandantes et iniungentes vobis nostris officialibus et collectoribus vniuersis, et specialiter Conseruatori Castri et Curiali Comiti Posoniensi ac Comiti hospitum Castri firmiter et discrete, ne aliquis uestrum ad populos sepedicte Prepositure et Ecclesie Posoniensis citandi, uel judicandi, aut collectam exigendi, seu exaccionem aliquam faciendi, uel aliquod honus imponendi occasione presumat extendere manus suas, aut in eis ius sibi aliquod, uel iurisdiccionem aliquam quocunque ingenio uendicare; alioquin poteritis nostre indignacionis uindictam non immerito formidare. Datum Posonij in octauis Apostolorum Petri et Pauli anno Domini M° CC° LXXX° quarto.

(Hártya. Hátulyán a pecsétnyom. Pozsonykáptalani magánlevéltár Capsa *B* Fasc. 2. Nr. 7. *Knauz.)*

167.

Roland erdélyi vajda biztosítja a dézsvári vendégeket, hogy őket V. István és IV. László által adott kiváltságleveleikben foglalt szabadalmaikban megtartja. 1284.

Nos Rolandus Voyauoda Transsiluanus, Comes de Zonuk, memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis presencium per tenorem, quod nos hospites de uilla Deeswaar, dimisimus et reliquimus permanere pacifice in eisdem libertatibus, quas in priuilegijs domini Stephani Regis, pie memorie, et domini nostri Ladislai incliti Regis Hungarie, super libertatibus predictorum hospitum confectis, per eosdem hospites nobis exhibitis et perlectis, plenius uidimus contineri, quemadmodum eciam temporibus aliorum Voyauodarum Transsiluanorum, antecessorum nostrorum, sicut in litteris patentibus eorundem, ipsis hospitibus super hoc concessis et nobis exhibitis, contineri uidimus, dicti hospites

in suis libertatibus, per predictos Reges, eisdem concessis atque traditis, dinoscuntur permansisse. Ita videlicet, quod Comes de Zonuk, qui pro tempore per nos fuerit constitutus, uel officialis siue viceiudex eiusdem, in nullo articulo causarum, quocumque modo inter ipsos hospites emergencium, eosdem ualeat iudicare, uel aliquatenus perturbare, contra formam priuilegiorum Regum predictorum, sed omnes causas inter ipsos emergentes, villicus earum, qui pro tempore per eosdem constitutus fuerit, iudicandi liberam et securam habebit facultatem. Si uero villicus ipsorum, aliquibus extraneis iusticiam facere denegaret, extunc ipse villicus ad Regiam uel ad nostram presenciam super hoc euocetur, ut omnibus querulantibus de eodem, per dominum Regem, uel per nos, iusticie complementum ordine iudiciario impendatur. Datum in Deeswaar, in festo Beati Thome Apostoli, anno Domini M° CC°. octuagesimo quarto.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens I. köt. 136. lap.)

168.

Az esztergami káptalan bizonyítja, hogy Dragal (Drégely) falu igtatásának Byter, Mikó fia a hely szinén úgy, valamint meghatalmazottja által a káptalan előtt ellenmondott. 1284. octb. 8.

Nos Magister Andreas — — — — Prepositus, et Capitulum Ecclesie Strigoniensis, memorie commendamus presencium per tenorem, quod Nicolaus de Chatar, nomine et vice Comitis Byter filij Miko, ad presenciam nostram accedens, nobis protestacione publica demonstrauit, quod villam Dragal, — — — — — — Demetrij filij — — — — — Comiti Byter, pro quantitate viginti quinque marcarum — — — annis pluribus obliga — — de mandato Regio nunc uero homo domini Regis sub testimonio hominis nostri Demetrio filio Dal — — — — — et socijs eorum statuisset et eciam assignasset ibi eodem Comite Byter, palam multis presentibus reclamante, et in hac parte suam iusticiam declarante, et licet ibidem super facto predicte ville per ipsum Comitem Byter contradictum fuisset, tamen idem Nicolaus, contradiccione huiusmodi non contentus, pro ipso Comite Byter coram nobis astando, premissa protestacione et querimonia contradixit assignacionem eiusdem ville sollempniter prohibendo, petens in testimonium nostras litteras sibi dari; cui nos presentes duximus concedendas. Datum anno Domini M°. CC°. LXXXIIII°, Dominica proxima post octavas Beati Archangeli Michaelis.

Jegyzet. Bőrhártyára irott zárt levél, mely szokott módon már eltűnt kerek pecséttel volt lepecsételve. Hátirata ez : pro comite Byter super protestatione facta per Nicolaum de Chatar. A kékkői levéltárban : Fasc. 1. n. 4. *Érdy.*

169.

Zolou eláll peréttől, melyet Tonkus ilkai lelkész (?) mint állítólagos szolgája, s magzatai ellen vitt; Tonkus pedig hogy minden további kelletlenségtől megmenekűljön, 15 pensa dénárt fizet néki perköltség fejében. 1284.

A B C D

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Posoniensis Ecclesie oraciones in Domino Jhesu Christo. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Zolou filio Mathie de Rech (?) ex una parte, et Tonkus clerico Ecclesie Beati Johannis Baptiste de Ilka ex altera coram nobis personaliter constitutis, idem Zolou proposuit viua uoce, quod cum ipse contra predictum clericum et eius liberos in presencia venerabilis viri domini nostri magistri Nicolai Prepositi Posoniensis questionem status suscitasset, ipsum clericum cum suis liberis serui sui nomine imprimendo, et super hoc inter partes fuisset diucius altercatum; tandem idem Zolou, tactus spiritu sanioris consilij cognovisset sua ipsum consciencia remordenti, quod in prefato negocio in salutis sue preiudicium processisset, allegans in sue penitudinis argumentum, quod per errorem ei ex suspicione quadam contra ipsum clericum predicte seruitutis mouerit questionem, protestans et asserens coram nobis, quod idem clericus, uel ab eo descendentes, ad eundem Zolou nullius obnoxietatis necessitudine pertinerent, sed natiue et perpetue libertatis ac ingenuitatis priuilegio fruerentur, propter quod idem liti seu accioni, quam contra ipsum clericum et eius liberos ex suspicione mouerat, ut superius est expressum, cessit et renunciauit ex permissione sui judicis, ut dicebat, spontanea — — —, qua in execucione predicte cause idem Zolou labores sustinuit et expensas, placuit eidem clerico, quod per virorum proborum arbitrium pro se et filijs

suis, pro redimenda presertim vlteriori vexacione sua, quindecim pensas denariorum Viennensium dare et refundere eidem Zolou (debeat), suarum nomine expensarum, quam pecuniam idem Zolou confessus est coram nobis ab eodem clerico se plenarie recepisse, tali condicione interiecta, quod quicunque processu temporis predictum clericum, uel ab eo descendentes consimili questione in judicio uel extra judicium temptauerit propulsare, memoratus Zolou eidem clerico uel ab eo descendentibus in ipsorum defensionis auxilium teneretur assistere et astare tamquam adiutor et defensor proprijs laboribus et expensis; si uero aliquis de cognacione sepedicti Zolou eundem clericum, uel eius posteros ullo unquam tempore traxerit in predicte recidiue scrupulum questionis, extunc idem Zolou sepedictum clericum uel ab eo descendentes teneretur mediis omnibus expedire. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes nostras concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas, anno Domini M° CC° octogesimo (így) quarto in festo Beate Marie Magdalene.

(Megviselt hártyán írva. Nehezen olvasható. A még ép pecsét veres, sárga és ibolyaszinű selymen függ; — Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 9. Nr. 4. *Knauz.)*

170.

Grebil István] *Vros fiának özvegye jegyjószágát sogorának Jánosnak hagyományozza. 1284.*

A B C D

Vniuersis Christi fidelibus (presens scriptum inspecturis Capitulum) Ecclesie Posoniensis oraciones in Domino Ihesu Christo. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus (peruenire, quod venientes nostram in pre)senciam personaliter Johannes filius Vros de Mogor, et Dyonisius filius Johannis de Bezene, nos rogauerunt humiliter et attente, quod nos vnum ex nobis ad dominam Gredil filiam Johannis, sororem predicti Dyonisij, relictam Stephani filij Vros in lecto egritudinis existentem, coram quo domina ipsa suum conderet testamentum, mittere dignaremur. Nos uero ipsorum peticionibus annuentes misimus dicretum Laurencium presbiterum sacerdotem Ecclesie Crucis Sancte de Gutor ad audiendum et videndum ordinacionem testamenti domine supradicte; qui postmodum ad nos reuersus nobis exposuit oraculo viue uocis, quod ipsa domina Gredil, licet valida corporis egritudine fuerit aggrauata, mente tamen sana sensuque superstite inter ceteras ordinaciones sui testamenti dotem suam et dotalicia ac res parapharnales, quas tempore tradicionis sue secum portauerat, ipsi Johanni pro eo, quod quia idem Johannes cum omni honore semper ipsam dominam tractauerit et fauore, et maxime pro salute anime sue, in tribus marcis et dimidia marca relaxasset, et quod ipsam pecuniam ab ipso Johanne plenarie recepisset, aduertendo, quod Dyonisius supradictus frater eiusdem domine, qui litem super ipsis dote et dotalicijs mouere contra ipsum Johannem intendebat, renunciauerit omni liti et accioni, promittentes firmiter tam ipsa domina, quam Dyonisius prenominatus, quod nec ipsi, nec alij proximi sui ullo unquam tem-

pore ipsum Johannem, uel suam posteritatem racione dotis et dotaliciorum, ac rerum parapharnalium possint uel debeant molestare; si quis autem ausu temerario eundem Johannem, uel suam posteritatem pro ipsis dote et dotalicijs ac rebus parapharnalibus processu temporum perturbaret, ijdem Dionisius et domina soror sua tenebuntur eum expedire proprijs laboribus et expensis, sicut ad hoc in presencia eiusdem hominis nostri se firmiter obligarunt. Datum anno Domini M° CC° octuagesimo quarto.

(Szakadozott elmosódott hártyán írva csak nagy nehezen olvasható. A zárjel közti szavak kitépetve, értelem után irattak ide; vöröszöld selymen függ a még ép pecsét. — Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 22. Nr. 15. *Knauz.*)

171.

G. kedhelyi apát bizonysága, hogy Herbord gróf Osl mesternek 25 bécsi girával tartozik. 1284.

Nos frater G. Abbas Montis Sancte Marie de Kedhel damus pro memoria, quod Comes Herbordus filius Herbordi coram nobis personaliter constitutus dixit se teneri Magistro Osl filio Osl cognato suo in XX quinque marcis latorum Wiennensium vel paruorum, XII pensas pro marca; quam pecuniam magister Osl soluet domino Johanni filio Henrici quondam Bani in octauis Sancti Georgij nunc venturis pro Comite H(erbordo) predicto. Item assumpsit, quod debet dare magistro Osl super debito memorato statim post presentes, litteras Capituli Jauriensis. Datum anno Domini M CC LXXXIIII in die Ambrosij Episcopi.

(Az eredeti után.)

172.

Herbord gróf János Belud fiának Széplaki birtokrészét, melyet zálogban bír, Jakab grófnak és Osl mesternek, Osl bán fiainak adja alzálogba. 1284.

Datur pro memoria, quod magistro Herbordo filio Comitis Herbord ab una parte, et Comite Jacobo filio Osl Bani pro se et pro magistro Osl fratre suo ex altera coram nobis constitutis, idem magister Herbordus propter euidentes necessitates suas, quas propter captiuitatem magistri Johannis filij Herrici perpessus est, porcionem Johannis filij Belud, quam habet in villa Zeplak, cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs ac tributo fori, quam scilicet porcionem ipsi magistro Herbordo mediantibus nostris litteris idem Johannes filius Belud pignori pro triginta duabus marcis latorum Viennensium obligauerat, sicut dicitur, cum articulis et condicionibus in eisdem literis nostris factis et assumptis, et eisdem iuribus, quibus sibi per eundem Comitem Johannem filium Belud obligata fuisse dicitur, et obligauit prefatis Comiti Jacobo (et) magistro Osl pro triginta duabus marcis latorum Viennensium, decem pensis pro qualibet marca computatis; ita videlicet, quod si sepedictus Johannes filius Belud (voluerit), eandem porcionem suam redimet a filijs Osl Bani supradictis pro summa triginta duarum marcarum predictarum; et quia de condicione obligacionis porcionis predicte nobis plene non constabat, pro eo, quia idem magister Herbordus easdem litteras penes se non habebat, nostras litteras presentes dedimus, iuxta assercionem magistri Herbordi prenotati. Datum in octauis Passce anno Domini M° CC°. octuagesimo quarto.

(Eredetie a nemzeti muzeum kézirati gyüjteményében.)

173.

Mortunus mester Zachud fia leköttelezi magát, hogy Weychei Ivankanak négy gira ezüstöt fog fizetni. 1284.

— — — — — — — — — Damus pro memoria, quod magistro Mortunus filio Zachud ex vna parte, ab altera uero Iwanka filio Joachini de Weyche coram nobis personaliter constitutis, idem magister Mortunus assumpsit soluere eidem Iwanka quatuor marcas partim in argento mercimoniali bono, partim uero in estimacione condigna in octauis Pasce nunc venturis coram nobis, duplum incursurus, si terminum omitteret in soluendo. Datum tercio die octauarum Beati Nycolai Confessoris anno Domini M° CC° octuagesimo quarto.

(Eredetie bőrhártyán, melynek hátán a káptalani pécset csekély töredéke még megvan, a gr. Károlyi család levéltárában.)

174.

IV. László király Chepant et Iváncsot, s több tárnokjobbágyokat mint ezeknek rokonait nemesíti. 1285.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Regali dignum est (honore) et expediens eos,qui in seruiciis dominicis se exercent, munificencia gratulari, vt eo exemplo ceteri inuitati ad maiora fidelitatis opera perducantur, discantque suo naturali domino efficacius

adherere. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Chepanus et Iwanch filij Zeud, jobagiones tawarnicorum nostrorum de Karumpha ad nostre Maiestatis accedentes presenciam, humiliter supplicando postularunt, vt eos propter merita suorum seruiciorum, et fratres eorum, filios Zeud, nec non ipsum Zeud patrem ipsorum, et per ipsos Baas filium Poka, et Petrum filium Pauli, et fratres eorundem, Stephanum caluum, et fratres eius Johannem filium Elbeus, nec non Pous filium Martini, et fratres ac cognatos eorundem, a jobagionatu tawarnicorum predictorum eripere et eximere, et in numerum nobilium et Regalium seruiencium nostrorum de benignitate Regia transferre dignaremur. Nos enim, cui interest metiri merita singulorum nobis famulancium, et vnicuique iuxta exigenciam suorum meritorum respondere, considerantesque servicia ipsorum Chepani et Iwanch meritoria, quibus a primeuis pusricie eorum temporibus sine aliqua intermissione iugiter in aula nostre Maiestatis famulando nobis studuerunt complacere, et specialiter eo tempore, quo Tartari, capitales Regni nostri inimici, tyrannica feritate adierant Regnum nostrum, ijdem Chepanus et Iwanch se diuersis casibus fortune submittentes pro defensione Corone Regie Maiestatis, non verentes personam, neque mortem, contra ipsos Tartaros uiriliter dimicantes, non sine cruoris eorum effusione fideliter impenderunt et deuote, prefatos Chepanum et Iwanch, aliosque fratres ipsorum, filios Zeud, nec non ipsum Zeud patrem ipsorum, et per eosdem Baas filium Poka, Petrum filium Pauli, et fratres eorundem, Stephanum caluum, et fratres eius Johannem filium Elbeus, nec non Pous filium Martini, et fratres ac cognatos eorundem, et per eosdem suos heredes heredumque suorum successores simul cum terra eorum Karumpha vocata de pristina eorum condicione, videlicet de jobagionatu tawarnicorum pure et simpliciter eximentes, in numerum, cetum et collegium nobilium et Regalium serviencium nostrorum duximus transfferendos; ita vt de cetero ijdem Chephanus et Iwanch, et ceteri fratres ac cognati eorum predicti, illa et eadem gaudeant libertate qua ueri et primi nobiles Regni nostri gratulantur sub vexillo Regio militantes. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes eisdem concessimus litteras

dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome Dei gracia Episcopi Waciensis aule nostre Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, Regni autem nostri anno tredecimo, quintodecimo kalendas Augusti.

(Eredetie a nemzeti muzeum kézirati gyüjteményében.)

175.

IV. Honorius pápa a nyulszigeti boldogasszony zárdája fejedelemasszonyának megerősíti a boldogasszony budai temploma jövedelmének harmadrészét. 1285.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filiabus . . . Priorisse et Conuentui Sororum inclusarum Monasterii Sancte Marie in Insula Danubii, Ordinis Sancti Augustini secundum instituta, et sub cura fratrum Ordinis Predicatorum viventibus, Vesprimiensis Diocesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod clare memorie Bela Rex Ungarie ius patronatus Ecclesie Sancte Marie in Monte Budensi, Vesprimiensis Diocesis, tunc ad ipsum pertinens, et quicquid iuris in eadem Ecclesia, quam fundaverat, obtinebat, vobis et Monasterio vestro in ipsius Ecclesie fundatione pro vestra sustentatione Regia liberalitate concessit, vosque extunc duas partes proventuum ipsius Ecclesie percepistis, clericis servientibus in eadem Ecclesia reliquam tertiam percipientibus portionem. Demum autem venerabilis frater noster . . . Archiepiscopus Strigoniensis, asserens, que de nouo fundantur in Regno Ungarie, ex donatione Regia ad eum quoad spiritualia immediaie spectare, non sine vestro gravamine postmodum ordinavit, ut predicti clerici duas partes, vos vero

tertiam partem perciperetis usque ad triennium proventuum predictorum, et extunc nullam perciperetis de ipsis proventibus portionem, nisi infra dictum triennium vos super hoc a Sede Apostolica obtinere contigerit gratiam specialem. Nos itaque volentes vobis ac monasterio vestro paterna in hac parte sollicitudine providere, vestris supplicationibus inclinati, ut premissis ueris existentibus, non obstante, quod prefatum triennium, ut asseritis, est elapsum, predictam tertiam partem iuxta huiusmodi ordinationem dicti Archiepiscopi perpetuo percipere ac tenere libere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Tibure X. kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

(IV. Honorius pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 353. l.)

176.

Maria salernoi herczegasszony, V. István magyar király leánya, elismeri, hogy az angol királytól 800 uncia aranyat átvett. 1285.

Vniuersis presentes litteras inspecturis Maria filia Regis Hungarie, Principissa Salernitana et Honoris Montis Sancti Angeli Domina salutem in eo, qui est omnium vera salus. Noueritis, quod nos presentialiter recepimus et habuimus per manus religiosorum virorum fratrum Hugonis de Sancto Edmundo Prioris fratrum Predicatorum Chelmerfordie, et Walteri de Seggefeld ejusdem ordinis ab Excellentissimo Principe domino Hondoardo Dei gracia Illustri Rege Anglie, carissimo consanguineo nostro, octingentas uncias auri ponderis generalis pro valore duorum millium librarum Turonensium ex dono facto carissimo domino et consorti nostro Principi per Inclitum Regem Anglie supradictum. In cujus

rei testimonium et predictorum fratrum cautelam presentes litteras exinde fieri fecimus nostri pendentis sigilli munimine roboratas. Datum in Castro Nouo prope Neapolim anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, vicesimo septimo die mensis Julii, tercie decime indiccionis.

(Rymer Tamás és Sanderson Robert: Foedera, Conventiones, litterae et cuiuscunque generis acta publica inter Reges Angliae et alios quosvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes vel Communitates, Clarke Ádám és Holbrooke Frigyesféle kiadás London 1816. I. köt. 1. r. 660. l., v. ö. Fejér Cod. Dipl. V. k. 3. r. 309. l.)

177.

Miriszló, Anai Péter fia, a pozsonyi káptalan előtt végrendeletet készítvén, Teke nevű szolgáját, és annak anyját Szimtót szabadokká nyilatkoztatja. 1285.

A B C

Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Paulus frater Comitis Pannini de Zoph, accedens in nostram presenciam a nobis cum instancia postulauit, vt unum ex nobis mitteremus, coram quo Mirizlov filius Petri de Ana cognatus suus, decumbens in extremis, suum conderet testamentum. Peticionibus igitur eiusdem annuere cupientes, ut tenemur, ydoneum virum, Arnoldum sacerdotem de Villa Sancte Marie, ad eundem Mirizlov vice et nomine nostro duximus transmittendum, qui quidem homo noster, simul cum eodem Paulo, et Teke seruo Mirizlov, ad nos rediens dixit nobis, quod prefatus Mirizlov inter ceteras ordinaciones testamenti sui, compos aduc (így) et sane mentis, eundem Teke, et matrem suam Scimtov uocatam pro remedio anime sue, presentibus Agnete sorore sua et

aliis cognatis suis consensum suum prebentibus, manumisisset, et tradidisset perpetue libertati in filios filiorum, dando eisdem inantea, standi, eundi, et manendi, ubicunque, et apud quoscunque uoluerint liberam facultatem. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto.

(Hártya. A pecsét nemzeti selymen függ. Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 23. Nr, 16. *Knauz.)*

178.

A királyné tárnokmestere, Bobroch helységet, mivel lakosai koholt irományokat mutattak fel, Bogomérnak itéli oda. 1285.

Nos D. Magister Tavarnicorum domine Regine et Comes de Zolum, significamus vniuersis presencium per tenorem, quod cum populi de villa Bobrouch contra Comitem Bogomerium litteras domine Regine super facto terre ipsius Bobrouch coram Comite Laurencio, officiali nostro de Lypto, statuere et exhibere debuissent, adueniente quoque termino ipsarum litterarum exhibicionis, ijdem populi de Bobroch, coram probis viris, quorum nomina in litteris ipsius Comitis Laurencii plenius continentur, litteras quasdam non ueras sed falsidicas exhibuissent, et contra ipsum Comitem Bogomerium omnino remansissent rebus et personis condempnandi, et ipsam terram Bobroch eidem Comiti Bogomerio dimisimus et reliquimus perpetuo possidendam et habendam, et ullo umquam tempore per predictos populos de Brobroch posse repetendam. Datum anno Domini M°. CC°. LXXX° quinto.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya a Hunt-Pázmántól eredett Kubinyi nemzetség levéltárában. *Érdy.*

179.

IV. László király, Miklós és Marczel Hilarius fiainak a Liptó megyei Hovran földét újdontan adományozza. 1286. jul. 9.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuerso rum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod Nicolaus et Marcellus filij Ilarij fideles nostri, ad nostram accedentes presenciam nobis referre curauerunt, quod olim dominus Bela Serenissimus Rex Hungarie felicis recordacionis, auus noster karissimus, pro seruicijs ipsorum, specialiter pro annunciacione sanitatis domini Regis Stephani clare memorie patris nostri karissimi, in expugnacione et conflictu Bulgarorum tunc agentis, vltra castrum Lom uocatum, iuxta fluuium Izker, quo dictum Marcellum dominus Rex Bela auus noster in officio legacionis seu uisitacionis destinauerat, sicut series ipsius negocij in priuilegio dicti Regis Bele aui nostri exinde confecto plenius continetur, eis quandam terram, super qua quidam Hovran nomine residebat temporibus retroactis, in Lyptou iuxta fluuium Waag et Medekus Potoka existentem, contulisset suo priuilegio mediante, petentes a nostra Celsitudine cum instancia, vt donacionem de ipsa terra eis factam ratam habere, et patrocinio noui sigilli nostri Regalis seu priuilegij dignaremur de benignitate Regia confirmare. Nos igitur, quibus ex officio suscepti regiminis nostri incumbit metiri et pensare merita singulorum, et vnicuique iuxta suorum meritorum exigenciam respondere, commendabilem fidelitatem et grata obsequia eorumdem Nicolay et Marcelli, que ijdem primum domino Regi Bele auo nostro, et postmodum domino Regi Stephano patri nostro karissimo, ac consequenter nobis et Regno in diuersis expedicionibus tam generalibus quam particularibus, cum omni fidelitatis studio

inpenderunt, attendentes, volentesque pro tanto ipsis remuneracionis beneficio occurrere Regio cum fauore, habito super hoc in generali congregacione tocius Regni nostri in Rakus celebrata, omnium Prelatorum et Baronum nostrorum consilio et consensu, predictam terram, in qua quidam Houran, sicut premisimus, olim residebat, cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs suis vniuersis, ad instar donacionis Regis Bele aui nostri, iuxta tenorem priuilegij eiusdem, prenotatis Nicolao et Marcello, ac ipsorum heredibus descendentibus in futurum de eisdem, reliquimus perpetuo pacifice possidendam; volentes, vt presens nostra ratihabicio et confirmacio, prioris donacionis domini Regis Bele aui nostri perpetuum et irreuocabile sit munimen. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome Dei gracia Episcopi Waciensis, aule nostre Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ducentesimo octuagesimo sexto, septimo Idus Julij, Regni autem nostri anno quartodecimo.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, melynek alúl fölhajtott hasadékaiból vörös és kék selyemről függő pecséte rongyba van varva, melyben apró darabokra morzsoltatott. A Hunt-Pázmántól eredett Kubinyi nemzetség levéltárából. *Érdy.*

180.

IV. László király a bakonybéli apátságot a révkomáromi vámjövedelmekben biztosítja. 1286.

Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie venerabili patri Lodomerio per eandem Archiepiscopo Strigoniensi, locique ejusdem Comiti perpetuo salutem et graciam plenam. Cum iuxta ordinacionem presentem, que vobis presentibus extitit celebrata, universis privilegiis sanctorum progenitorum nostrorum, Sanctissimi videlicet Regis Stephani, et Beati Regis Ladislai, nec non Regis Bele avi nostri, nobis per Abbatem de Bel exhibitis, prout in eisdem comperimus, duas partes tributi portus et fori de Camarun Monasterio Sancti Mauricii de Bel restituerimus, ut decebat; paternitatem vestram mandantes requirimus per presentes; quatenus, si Paulus et Nicolaus de Camarun, quibus super premissis litteras nostras transmisimus per magistrum Lorandum fidelem nostrum, rebelles extiterint nostrum mandatum contempnendo, vos contra eosdem procedatis, sicut expedit, ecclesiasticam per censuram. Datum in Erchy, tercio die Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini M° CC° octuagesimo sexto.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

181.

Jegyzői okmány azon házasságról, melly Endre szlavoniai herczeg és Klára, Albert görczi gróf leánya közt terveztetett. 1286.

In nomine Christi Amen. Anno Natiuitatis millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indiccione quarta decima, in Ecclesia Sancti Johannis de Duyno die sexto intrante Junio; presentibus dominis Wolrico de Riffenbergh, Andrea de Pennia, Gebardo de Eberstayn, Johanne Geno, Andrea Grusoni et Bertholameo Gritti, Petro Mangono de Forliuio, et aliis testibus conuocatis atque rogatis. Cum humane fragilitatis condicio sit mobilis ad instabilitatem, necesse est, gesta hominum utilia scripture testimonio confirmari. Nouerint igitur vniuersi, quod cum inter virum Illustrem dominum Albertum Comitem Goricie ex una parte, et virum Egregium dominum Albertinum Mauroceno de Venecia, nuncium, actorem, et procuratorem pro Illustri domino Andrea, Dei gracia Duce Sclauonie, nepote olim Serenissimi domini Andree Regis Hungarie, sicut patet publico procuracionis instrumento, scripto manu Placiti condam Bertholamei Imperiali auctoritate Notarii, anno Domini nostri Jhesu Christi a Natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indiccione quartadecima, die ultimo mensis Maij ex altera, matrimonium contrahi sit promissum, videlicet quod idem dominus Comes Albertus sua spontanea uoluntate promisit fide manuali in manibus dicti domini Albertini, dare filiam suam dominam Claram in vxorem prenominato Illustri domino Andree Dei gracia Duci tocius Sclauonie secundum quod decebit utrumque, et idem dominus Albertinus, auunculus eiusdem domini Ducis, nomine ipsius dictam dominam Claram filiam prefati domini Comitis, nominato domino Andree nepoti suo acceptauit accipere in vxorem; et cum predicti domini Dux et Comes simul conuenerint, predictum matrimonium per corporale sacramentum tactis Sacrosanctis Euangeliis debent et tenentur

perducere ad effectum. Ad hec quidem stabilienda et effectui demandanda, de uoluntate parcium predictarum nobiles viri domini Hugo de Duyno et Jacobus de Ragonia pro parte domini Comitis predicti in animam ipsius Comitis, et egregij viri domini Albertinus Mauroceno supradictus et Marinus Pasqualiquo pro parte predicti domini Ducis in animam ipsius domini Ducis, super altare predieti Sancti Johannis, tactis Cruce et libro, ad Sancta Dei Euangelia iurauerunt, omnia que dicta sunt effectui mancipare, et eciam in animabus eorum jurauerunt dare opem et operam pro posse, quod predictum matrimonium legittime consumetur; et ad quorum euidenciam et maiorem stabilitatem predictus dominus Albertus Comes, et dictus dominus Albertinus Mauroceno uice, nomine et loco predicti domini Ducis fecerunt presens instrumentum sigillorum suorum pendencium munimine roborari. Et huius tenoris instrumenta duo sunt, quorum parcium predictarum quelibet habet vnum, confecta per me subscriptum Notarium et subscriptum per Ottolinum de Justinopoli Notarium, et confecta per dictum Ottolinum de Justinopoli Notarium et subscriptum per me Marcum Siboto infrascriptum Notarium.

(Jegyzői jegy) Ego Marcus Siboto, Imperiali auctoritate Notarius et Ducalis aule Venecie scriba, predictis omnibus interfui et rogatus scripsi ac meo signo solito roboraui.

(Jegyzői jegy) Ego Otolinus Justinopolitanus, Imperiali auctoritate Notarius, hiis interfui, et rogatus scribere me subscripsi.

(Eredetie, melytől két pecsét függ, a bécsi cs. k. titkos levéltárban. Kiadta Firnhaber a bécsi cs. academia Archivuma II. kötetében Bécs 1849. 201. l.)

182.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Erzsébet, Örkényi Pongrácz özvegye élte folytáiglani eltartásának feltétele mellett minden birtokát a pannonhalmi apátságnak zálogképen engedte át. 1286.

Capitulum Jauriensis Ecclesie universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad universitatis vestre noticiam tenore presencium volumus pervenire,quod nobilis domina, domina Elisabeth, filia Jhoannis (így) de Zegh de genere Hunthpaznan, relicta videlicet Comitis Pangracii de Eurkyn, filiorum orbata solacio, et tuicione, ac defensione carens proximorum, coram nobis constituta personaliter, quia propter evidentem Regni perturbacionem se intolerabile honus dicebat sufferre paupertatis, nec commode poterat sustentare, se patrocinio Monasterii Beati Martini de Sacro Monte Pannonie ex fervore devocionis, et devote humilitatis affectu commisit, et possessiones suas universas, videlicet in Ech in vineis, quas post mortem dicti Comitis Pangracii, — — — racione dotis sue ad se dicebat devenisse, dedit et donavit predicto Monasterio perpetuo possidendas, eo scilicet modo, quod quamdiu eadem domina vixerit, Abbas Monasterii sepedicti in alimentis et vestibus eandem decentibus ipsam tenebitur sustentare. Articulo huiusmodi eciam interposito et apposito, quod quicunque cognatornm, affinium, vel proximorum dicti Comitis Pangracii ipsas possessiones a dicto Monasterio voluerit revocare, pro quinquaginta marcis, que ad racionem dotis sepedicte domine debeant pervenire, easdem Abbas dicti Monasterii reddere teneatur, et pecuniam recipere pro sustentacione domine sepedicte. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras nostro sigillo roborotas. Datum in octavis Pentecostes, anno Domini M°. CC°. octuagesimo sexto.

Magistro Carachino Ecclesie nostre Preposito, Dominico Cantore, Hectore Lectore, Stephano Custode exstentibus.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában).

183.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy János, pozsonyi udvargróf, Chenk szolgálóját, annak fiával Lőrinczczel együtt, szabaddá bocsátotta. 1286.

A B C

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posouiensis salutem in Domino. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Johannes Curialis Comes Posoniensis, filius Comitis Petri, coram nobis personaliter constitutus est confessus, quod predictus Comes Petrus pater suus, iam dudum quandam ancillam suam hereditariam Chenk uocatam filiam Endre, simul cum filio suo Laurencio dicto Berze, ob remedium, et salutem anime sue manumisisset in filios filiorum, petiissetque ab eo cum instancia, ut ipse huiusmodi manumissioni liberaliter consentiret. Volens igitur idem Comes Johannes paterne peticioni subieccione condescendere filiali, predictam ancillam Chenk uocatam, simul cum filio suo Laurencio coram nobis, prout pater suus manumiserat et petierat, manumisit, donauit, dedit et contulit eos, tam pro se quam pro patre suo perpetue libertati, ita quod decetero sepedicta Chenk, et filius suus Laurencius antedictus, uel ab eis descendentes, ad ipsos uel ad aliquos de generacione sua nullius obnoxietatis necessitudine debeant petinere, sed tamquam natiue libertatis ac iugenuitatis priuilegio, cum omni posteritate sua perhempniter frui debeant et foueri, obligando se, quod quicunque

processu temporum, ipsam Chenk et Laurencium filium suum uel ab eis descendentes, racione condicionis pristine, in iudicio, uel extra iudicium temptauerit propulsare, idem Comes Johannes, et Comes Petrus pater suus tenebuntur eos expedire proprijs laboribus et expensis. Preterea Ipolitus, Petrus et Jacow filij Dominici cognati eiusdem Comitis Johannis, cum eodem Comite Johanne, in nostri presencia personaliter comparentes, huiusmodi manumissioni consensum suum prebuerunt pariter et assensum. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

(Hártya. Zöld selymen a pecsét. — Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 23. Nr. 5. *Knauz.*)

184.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Duhának hátrahagyott özvegye hitbére és hozománya tekintetében annak fiaitól teljesen kielégíttetett. 1286.

A. B. C.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Dominicus filius Duha pro se et pro Nicolao fratre suo ab una parte; domina relicta eiusdem Duha et Egidius frater eiusdem relicte ab altera coram nobis personaliter constituti super dote et dotalicijs ac rebus parapharnalibus ipsius relicte in rebus que subsecuntur, uidelicet tribus marcis, in duobus bobus, uacca cum uitulo, quindecim ovibus, decem porcis, septem satis autumnalibus et duabus uernalibus, et quadraginta saponibus (?) frugum per composicionem proborum

uirorum confessi sunt in nostri presencia concordasse, quod singula omnia eadem relicta a predicto Dominico se recepisse, et ipsa in omnibus sibi satisfactum fuisse asseruit adeo et tam plene, ut in signum huiusmodi satisfaccionis ipsa relicta super dote et dotalicijs ac rebus secum aportatis eundem Dominicum et Nicolaum fratrem eiusdem coram nobis reddidit penitus expeditos; obligando se, quod quicunque processu temporum eundem Dominicum et fratrem suum racione predicte dotis inpetere attemptarent, ipsa relicta et Egidius antedictus tenebuntur eos expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

(Hártya, vizfoltos, a pecsét elveszett. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 4. Nr. 8. *Knauz.*)

185.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Pokyi Tamás gróf egy Saralia helységében lévő szántóföldet Marcolf három fiának szolgálatai tekintetéből adományozott. 1286.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire. Quod nobili uiro Comite Thoma de Poky ab una parte, Ladislao filio Morcolfi pro se et pro Nicolao ac Maharia, fratribus suis ab altera, coram nobis personaliter constitutis, idem Comes Thomas quandam particulam terre sue arabilis de Saralia, exemptam et excissam a terris populorum suorum in eadem uilla Saralia existencium, quam quidem particulam terre pro usu sui proprij aratri consueuerat retinere, simul cum nemore, quod iacet in fine predicte particule terre,

et protenditur usque ad ecclesiam in eadem uilla Saralia existentem, pro seruiciis eorundem Ladislai, Nicolai et Maharie, quod sibi fideliter et indefesse preterite iupenderunt et inpendere poterunt in futurum, dedit, contulit et donauit eis, ex parte sui et filiorum suorum inrevocabiliter in nostri presencia perpetuo possidendam; obligando se, quod quicunque processu temporum, siue filij sui, seu aliqui alij de cognacione sua sepedictos Ladislaum, Nicolaum et Mahariam racione prefate particule terre, et predicti nemoris retro ecclesiam existentis, impetere attemptarent, ipse teneretur eos expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in octauis Assumpcionis Beate Virginis. Anno Domini millesimo CC. octuagesimo sexto.

(Hártya. A még ép pecsét vörös selymen függ. Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 7. Nr. 2. *Knauz.*)

186.

Trau dalmácziai város statutumot hoz, hogy polgárai Spalato város polgáraival fekvő birtokukra nézve szerződéseket szabadon köthetnek. 1286.

† In Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, die Jovis ultimo mensis Februarii quartodecime indictionis. Temporibus domini L. Dei gratia Serenissimi Regis Hungarie, venerabilis patris domini G. Dei gratia Traguriensis Episcopi, et Magnifici viri domini Georgii Traguriensis Comitis, ac nobilium virorum dominorum Desse Amblasij, Duymi Domiche, et Mathei Luce Mathei Traguriensium Judicum. Cum inter cetera statuta, que in capitulari Communis Civitatis Traguriensis habentur, pateat euidenter, per ipsum Cummune Civi-

tatis Traguriensis statutum et ordinatum esse, quod nullus ex civibus Traguriensibus auderet vel deberet ab aliquo extraneo siue forensi aliqua bona siue possessiones emere, vel in cambium siue in donum vel aliquo modo suscipere aliquid de bonis et possessionibus ipsius extranei vel forensis, qui essent in Civitate Traguriensi vel ejus districtu, quod juri consonum non esse videtur; et sapientum sit in melius reuocare conscilia, ideoque predicti Judices Tragurienses et totum Conscilium Ciuitatis Traguriensis unanimiter et concorditer per se suosque successores nomine et pro parte dicti Communis Traguriensis dederunt et contulerunt omnibus et singulis civibus Ciuitatis Spaleti, qui bona aliqua siue possessiones habent in Ciuitate uel in districtu Ciuitatis Traguriensis per hoc presens publicum instrumentum plenam immo plenissimam uirtutem et liberam potestatem, ipsa bona et possessiones omnes vel singulas libere atque quiete, quod non obstante vel prejudicante capitulari sive statuto predicto absque aliqua Communis Ciuitatis Traguriensis molestia, impedimento vel contradictione cuiuscumque vel quibuscumque uoluerint, ut res et bona sua propria vendendi, donandi, obligandi, permutandi et suam ex ipsis in perpetuam omnimodam facere uoluntatem; non minus predicti Judices et Conscilium dederunt, contulerunt et concesserunt omnibus etiam suis ciuibus Traguriensibus, quod non obstante vel prejudicante statuto predicto Ciuitatis Traguriensis, absque aliquo impedimento, molestia, vel contradictione sibi inde inferendis, plenam uirtutem, licentiam habeant et omnimodam potestatem, ab omnibus ciuibus Spaletensibus ipsorum bona et possessiones, que et quas habent in Ciuitate vel in districtu Ciuitatis Tragurii, emendi, permutandi, in donum et pignus suscipiendi, et omne genus contractus cum eis, et de ipsis bonis et rebus cum dictis Ciuibus Spaleti faciendi, quid de utriusque parcium uoluntate placuerit faciendum. Et ut predicta omnia et singula robur optineant firmitatis, que ipsi Judices et Conscilium per se suosque successores nomine dicti Comunis per hoc publicum instrumentum firma et rata habere atque tenere promiserunt, et non contra facere uel uenire, se obligarunt cum bonorum sepe dicti Communis Traguriensis obligatione. Actum in camera Communis presenti-

bus domino Johannicha Casoctj, domino Luca Mathei et aliis, ac domino Dessa Duymi examinatore.

Ego Dessa Duymi examinator conscius examinavi.

Ego Sanctorius Tragurie juratus et confirmatus Notarius scripsi hoc instrumentum, quia hijs omnibus rogatus interfui, et meo signo signaui.

(A bécsi cs. k. titkos udvari levéltárban őrzött hiteles másolat után.)

187.

IV. László magyar király Gergelyt, Imre mester fiát az Osl nemzetségből Byka nevű földdel adományozza. 1287.

Ladizlaus Dei gracia Rex Hungarie etc. significamus: quod Gregorius filius magistri Emerici de genere Osl fidelis parvulus noster, accedens ad nostram presenciam, quandam terram Byka vocatam sine herede decedencium a tempore Tartarorum vacuam et habitatoribus destitutam, et in faciem eiusdem terre ecclesiam in honore Sancti Nicolay constructam, in Comitatu Jauriensi existentem humiliter petivit a nobis sibi dari Nos siquidem stb., aliquos ex suis actibus — — — quedam per presentes duximus declaranda. Specialiter cum sub castro Pystien fuissemus cum omni exercitu Regni nostri super infideles nostros filios Henrici Bani, videlicet Johannem et Nicoluum — — — idem Gregorius cum proximis suis, Herbordo filio Herbordi, et Inda filio Petri pro nobis et Regno nostro per eosdem infideles nostros exstiterunt captivati, et idem Gregorius de eadem captivitate cum ducentis marcis se redemit; exceptis possessionum suarum spolijs et dissipacionibus. Sic igitur — — — — — in recompensacionem ipsius servicij et damnorum suorum terram Byka

nuncupatam iuxta Mezeuraba adiacentem, cui a parte meridionali Moruchyda vicinatur, et a parte septemtrionali similiter vicinantur nobiles de Bobwd et Musunien — — de consensu et beneplacito omnium Prelatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Baronum nostrorum dedimus etc. Datum per manus magistri Theodori Albensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Cancellarij MCCLXXXVII°.

(Az eredeti után *Csech.* Tivadar királyi alkanczellár ugyanazon évi más okmányokban czímeztetik „Prepositus Scibiniensis", vagy „Prepositus Scebeniensis, Sancte Albensis Ecclesie Electus." L. Fejér Cod. Dipl, V. k. 3. r. 339. sk. ll. Czechnek másolatából kitetszik, hogy az maga az eredeti után késztült ugyan, de igen elhamarkodva.)

188.

III Honorius pápa Lodomért esztergami érseket meghatalmazza, hogy a tatárok, szaraczénok, neugerok és pogányok ellen Magyarországban és a szomszéd vidékekben keresztháborút hirdethessen. 1287.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina de gremio Matris Ecclesie seminata carissimus in Christo filius noster L. Rex Ungarie Illustris colligeret, Divine gratie participatione sentiret, quod ipsa Ecclesia progenitorum suorum merita clara rememorans, eum baiulare ac lactare cepit ut filium, et tandem causa suggerente, maternis allocutionibus, ne sic clarum germen decideret, informavit ipsum ac direxit indefessis sollicitudinibus et studiis oportunis, specialiter a tempore felicis recordationis Nicolai Pape predecessoris nostri, prout ipsius predecessoris actus salutiferi representant. Sed, prohdolor, sicut diversis scripturis et relatibus, ac alias fama divulgante,

amare percepimus, ipse Rex desertis progenitorum suorum vestigiis, fallibili collusione degenerans, licet interdum eiusdem matris exhortationibus acquiescere ore pretenderet, tamen in ruinam sponte prosilire dinoscitur, dum Deum contempnere non veretur, vel revereri contempnit, et alias in precipitium se devolvit, destructionem fame proprie non aspernans, cuius notabiliter prodigus, positus est in notabile spectaculum gentibus, ut tanquam criminosus mereatur a singulis denotari; pro eo maxime, quod religione Christiana postposita, vel potius abiecta, in contemptum Divini nominis se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis et Paganis conversatione dampnata confederare se dicitur, specialiter vivendi cum eisdem Neugeriis norma sumpta, et abiecta, immo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Regina Ungarie Illustri, deseviens in se ipsum et Regiam domum Ungarie, que consueuit claris germinibus fecundare, in ipsius domus exterminium thorum fedare non metuit coniugalem, sicque, si premissis veritas suffragatur, degit Divina et humana lege vetiti criminis labe pollutus in scandalum hominum, et redditur in conspectu superni nominis odiosus. Vnde cum ex iniuncto pastorali nobis officio animarum curam gerere teneamur, dolentes et merito, si talem de predicto Rege reddere nos contingat in examine superni judicii rationem, et cupientes ut salutis vitato dispendio, electorum aggregari consortio mereatur; fraternitati tue, de cuius circumspectione ac examinata probitate confidimus, iniungimus, ut in hac parte datas tibi a Domino virtutes exercens, predictum Regem a sic nephandis erroribus retrahas, et ad viam salutarem studiosa operatione reducas. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Tartari, Sarraceni, Neugerii et Pagani dampnatos suos conatus contra Catholice fidei professores exercitare voluerint, ne ipsorum invalescat temeritas in dispendium fidei Christiane, contra predictos Tartaros, Sarracenos, Neugerios et Paganos ac alios adherentes eisdem, vel eos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscunque status aut condicionis extiterint, omnibus Christi fidelibus per Regnum Ungarie, ac per alias circumpositas provintias per te, vel alium seu alios studeas sollicite pro-

ponere verbum crucis, et ad illam assumendam Christianum populum exhortari. Nos enim omnibus vere penitentibus et confessis, qui crucis signaculum contra infideles assumpserint memoratos, illam concedendi indulgentiam tibi concedimus potestatem, que in terre Sancte subsidium proficiscentibus concedere Sedes Apostolica consuevit. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

(III. Honorius pápa Regestáiból, Theiner Monumenta Hist. Hung. Sacr. I. köt. 354. l.)

189.

III. Honorius pápa a római és a cseh királyoknak meghagyja, hogy az esztergami érseket ebben segítsék. 1287.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio . . . Regi Romanorum Illustri salutem et Apostoliam benedictionem. Si sparsa semina etc. ut supra verbis competenter mutatis usque reducat. Ut igitur idem Archiepiscopus tanquam Christi operarius utilius proficere valeat, Celsitudinem Regiam rogamus et hortamur, ac in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus attendens, quod per hoc posset Catholice fidei deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, Paganos, et alios predictos eidem Archiepiscopo ad requisitionem suam sic favorabiliter assistere studeas, quod huiusmodi repressis erroribus tibi cedat ad laudis titulos et salutem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Martii (Pontificatus nostri) anno secundo.

In e. m. carissimo in Christo filio . . . Regi Boemie Illustri, et dilecto filio nobili viro . . . Duci Austrie verbis competenter mutatis.

(IV. Honorius pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 355. l.)

190.

III. Honorius pápa Magyarország és a szomszéd vidékek főpapjaihoz ugyanazon értelemben. 1287.

Honorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Plebanis et aliis Ecclesiarum Prelatis ac Ministris, Guardianis et Custodibus, ac Capitulis et Conventibus Cisterciensis, Sancti Benedicti, Premonstratensis, Predicatorum et Minornm fratrum, ac aliorum Ordinum et universo Clero ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et Sancte Marie Theotonicorum Magistris, Preceptoribus et fratribus per Regnum Ungarie ac circumpositas provincias constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina etc. ut supra verbis competenter mutatis usque reducat. Ut igitur idem Archiepiscopus tanquam Christi operarius utilius proficere valeat, universitatem vestram rogamus et hortamur, quatenus attendentes, quod per hoc posset Catholice fidei deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, Paganos et alios predictos eidem Archiepiscopo ad requisitionem suam sic favorabiliter assistere studeatis, quod huiusmodi repressi erroribus vobis cedat ad laudis titulos et salutem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Martii (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Honorius pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 355. l.)

191.

III. Honorius pápa a lengyel és a szlavoniai herczegekhez, s Magyarország és a szomszéd vidékek főuraihoz és nemeseihez ugyanazon értelemben. 1287.

Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Polonie ac Sclavonie, aliisque Ducibus, Marchionibus, Comitibus et Baronibus ac universo populo Christi fidelibus per Regnum Ungarie ac alias circumpositas provintias constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina etc. ut supra verbis competenter mutatis usque reducat. Ut igitur idem Archiepiscopus tanquam Christi operarius utilius proficere valeat, universitatem vestram rogamus et hortamur, ac in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes, quod per hoc posset Catholice fidei deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, Paganos et alios predictos eidem Archiepiscopo ad requisitionem sic favorabiliter assistere studeatis, quod huiusmodi repressis erroribus vobis cedat ad laudis titulos et salutem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Martii (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Honorius pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 355. l.)

192.

III. Honorius pápa az esztergami érseket meghatalmazza, hogy IV. László magyar királyt, ha a királynét szabaddá bocsátani és magához venni nem akarná, egyházi büntetéssel sujthassa. 1287.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina de gremio Matris Ecclesie seminata carissimus in Christo filius noster L. Rex Ungarie Illustris colligeret, Divine gratie participatione sentiret, quod ipsa Ecclesia progenitorum suorum merita clara rememorans, eum baiulare ac lactare cepit ut filium, et tandem causa suggerente, maternis allocutionibus, ne sic clarum germen decideret, informavit ipsum ac direxit indefessis sollicitudinibus et studiis oportunis, specialiter a tempore felicis recordationis Nicolai Pape predecessoris nostri, prout ipsius predecessoris actus salutiferi representant. Sed prohdolor, sicut diversis scripturis et relatibus ac alias fama divulgante, amare percepimus, ipse Rex desertis progenitorum suorum vestigiis, fallibili collusione degenerans, licet interdum eiusdem matris exhortationibus acquiescere ore pretenderet, tamen in ruinam sponte prosilire dinoscitur, dum Deum contempnere non veretur, vel revereri contempnit, et alias in precipitium se devolvit, destructionem fame proprie non aspernans, cuius notabiliter prodigus, positus est in notabile spectaculum gentibus, ut tanquam criminosus mereatur a singulis denotari; pro eo maxime, quod religione Christiana postposita, vel potius abiecta, in contemptum Divini nominis se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis et Paganis conversatione dampnata confederare se dicitur, specialiter vivendi cum eisdem Neugeriis norma sumpta, et abiecta, immo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Regina Ungarie Illustri, deseviens in se ipsum et

Regiam domum Ungarie, que consuevit claris germinibus fecundare, in ipsius domus exterminium thorum fedare non metuit coniugalem, sicque, si premissis veritas suffragatur, degit Divina et humana lege vetiti criminis labe pollutus in scandalum hominem, et redditur in conspectu superni nominis odiosus. Vnde cum ex iniuncto pastorali nobis officio animarum curam gerere teneamur, dolentes et merito, si talem de predicto Rege reddere nos contingat in examine superni judicii rationem, et cupientes, ut salutis vitato dispendio, electorum aggregari consortio mereatur; fraternitati tue, de cuius circumspectione ac examinata probitate confidimus, iniungimus, ut in hac parte datas tibi a Domino virtutes exercens, predictum Regem a sic nephandis erroribus retrahas, et ad viam salutarem studiosa operatione reducas. Quocirca mandamus, quatenus si dictus Rex predictam Reginam a carcere liberatam resumere, ac, ut predicitur, tute tractare noluerit, tu eum ad id per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellas, non obstante, si eidem Regi a sede apostolica sit Indultum, quod excommunicari, vel terre ipsius interdici non possit per litteras apostolicas non facientes etc. usque mentionem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam IIII. Idus Martii (Pontificatus nostri) anno secundo.

(III. Honorius pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 355. l.)

193.

Az erdélyi káptalan bizonyságlevele azon szerződésről, melyet Péter erdélyi püspök János kőfaragó mesterrel az ottani templom tornyának és falainak felépítésére nézve kötött. 1287.

Nos Capitulum Ecclesie Beati Michaelis Archangeli Transsiluane memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis, quod magister Johannes lapicida filius Tynonis de ciuitate Sancti a Deo dati in propria persona coram nobis constitutus, ex pacto inito cum venerabili patre domino P. Episcopo, Prelato nostro obligauit se eleuaturum murum ecclesie nostre, uidelicet ecclesie Beati Michaelis Archangeli et ipsius muri adiacencia, prout columnas simul cum turri seu campanili intus et exterius cum lapidibus politis, preter interiorem partem turris a parte meridionali, incipiens ab antiquo opere, et continuando ipsi antiquo operi iuxta hostium, per quod dominus Episcopus in ecclesiam intrare solet, et in suum redire palacium, in ea altitudine in toto, in qua murus ipsius ecclesie super dictum hostium per antiquum opus exstitit eleuatus pro quinkaginta marcis terrestris argenti, et minoris ponderis, de quibus quinkaginta marcis, predicto magistro J. racione cuiusdam homicidij alio die Albe perpetrati idem dominus Episcopus, in memorati operis incoacione solvit octo marcas, et in toto eidem magistro J. complebit in terminis infrascriptis. A data videlicet presencium usque octavas Passce singulis mensibus singulas marcas persolvet, in ipsis enim octavis Passce dabit sex marcas, in octavis Ascensionis Domini decem marcas, in festo Beati Johannis Baptiste iterum decem marcas, in festo Beati Jacobi Apostoli residuas decem marcas proxime venturis, ita tamen, quod si forte idem magister Johannes opus suum ante ipsa tempora perficere poterit, dominus Episcopus similiter ante eadem tempora quantitatem memorate pecunie, scilicet ipsarum quinquaginta marcarum sibi tenebitur

integrare; nichilominus ab ipsa data presencium pretactus magister Johannes cum uno socio sibi adjuncto in poliendis lapidibus statim absque medio aliquo debet ipsum opus incoare, et per totam iemem absque aliquali intermissione laborare, lapides tamen, cementum, arenam, aquam et ligna mina, si que erunt pro ipso opere necessaria, dominus Episcopus deferri faciet, et deponi iuxta ecclesie fundamentum ponenda, ordinanda, et locanda, in opere, prout debent laboribus magistri Johannes memorati — — perfecto enim opere dominus Episcopus secundum suum honorem assumpsit se uestiturum magistrum Johannem supradictum. Datum in festo Omnium Sanctorum anno Domini M°.CC°. octuagesimo, septimo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens I. k. 139. l.)

194.

Az erdélyi káptalan bizonyságlevele, hogy Gáldi Buken gróf és fiai Hewrimus nevü birtokukat Berga grófnak és fiainak eladták. 1287.

Capitulum Ecclesie Beati Michaelis Transsilvane, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui salutem operatus est in medio terre. Vt gestis hominum, seu actibus rite ac legitime celebratis, studiosa malignorum cupiditas nequeat obuiare atque novercari, ipsa gesta vel acta ad cautelam litterarum patrocinio consueuerunt roborari, ut in posterum minime titubent, seu vacillent. Propterea ad uniuersorum noticiam, tam presencium, quam posterorum harum serie uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam Buken Comes, Barlabas, Nicolaus, et Gregorius filii eiusdem de Gald ex permissione et uolun-

tate commetaneorum suorum, magistrorum uidelicet Michalch, et Emur, in nostri presenciam astantium, quandam terram ipsorum Hewrimus uocatam, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis, iuxta Morisium adiacentem, Berga Comiti, ac filijs suis Kemen Comiti, Andree et Petro pro quindecim marcis, —·— et plenarie acceptis ab eisdem, nec non heredibus heredumque successoribus eorundem, iure perpetuo, et inrevocabiliter possidendam sunt confessi. Obligantes insuper se, et assumentes ijdem Buken, et filij sui prenotati coram nobis, ut quicunque eosdem Bergam Comitem, et filios suos prelibatos, racione dicte terre impedirent, seu in ius euocarent proprijs sumptibus et laboribus eosdem expedirent, et in possessione pacifica terre memorate conseruarent indefesse. Ut igitur hec vendicio coram nobis facta robur optineat perpetue firmitatis, nec per quempiam tractu temporis possit uel debeat immutari, ad instanciam et peticionem parcium, in testimonium rei geste, litteras nostras presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas, sub hijsdem tamen metis et terminis quibus ipsa terra ab antiquo per priores suos possessores exstitit limitata et possessa. Datum magistro Micaele Preposito Ecclesie nostre, Gregorio Cantore, Paulo Custode, Johanne Decano testibus. Anno Domini MCC. octogesimo septimo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenb. z. Gesch. Siebenb. I. köt. 141. l.)

195.

Pál pozsonyi kanonok a pozsonyi főtemplomnak Uzur, Okoli, Churle és Simperg helységekben levő részjószágait adományozza.
1287.

Vniuersis presentes litteras inspecturis Capitulum Strigoniensis Ecclesie salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nobilis vir magister Paulus filius Benedicti Canonicus Posoniensis coram nobis personaliter constitutus, considerans se Sancte Matris Ecclesie, que regenerat fideles in Christo meritis, oracionibus et suffragijs apud celi Dominum salubriter adiuuari, portiones suas de possessionibus, terris seu villis Vzur, Ocoly, Churle et Simperg vocatis ipsum de jure hereditario contingentes, saluis tamen porcionibus Johannis et Petri fratrum suorum, Ecclesie Sancti Saluatoris de Posonio et eius Preposito et Capitulo ex voto pie mentis dedit, optulit et donauit in elemosinam sempiternam, totum jus proprietatis et dominij in ipsam Posoniensem ecclesiam et eius Prepositum et fratres, seu Capitulum, de predictis possessionibus suis irreuocabiliter et irretractabiliter ac perpetuo ex tytulo huiusmodi donacionis transfundens, transferens et conuertens. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes ad peticionem et instanciam eiusdem magistri Pauli sigilli nostri appensione dedimus communitas. Datum per manus discreti viri magistri Cipriani Ecclesie nostre Lectoris, anno Domini M-mo CC-mo octauogesimo (így) septimo, octauo Idus Julij.

Jegyzet. Az esztergami káptalannak „magister Nicolaus Canonicus ecclesie Poson" kérésére kiadott átiratából „datum feria tercia proxima post festum Inuencionis s. Crucis. Datum anno Domini M-mo quadringentesimo." Hártyán; zöld zsinegen az esztergami káptalannak ismeretes s eléggé ép pecsete (lásd rajzát Magy. Történ. Tár II. köt. 22. szám). — Pozsonykáptalani magánlevéltar Capsa *C* Fasc. 11. Nr. 121. *Knauz.*

196.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Bothow pozsonyi várjobbágy Zelew nevü szolgálóját és ánnak fiát Pált szabaddá bocsátotta. 1287.

A B C

Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis, salutem in Domino. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod — — Bothow filius Pousa de Saap jobagio Castri Posoniensis, constitutus personaliter coram nobis, uiue uocis oraculo proposuit in hunc modum; quod cum domina uxor sua Suug uocata filia Latus iam decubuisset dudum in extremis, ab eo, adhuc compos et sane mentis instantissime peciisset in sua ultima uoluntate, ut quandam ancillam ipsius Bothow mariti sui heriditariam Zelew uocatam filiam Theke, simul cum filio suo Paulo uocato, tum pro eo, quia requisicionem dotis sue, et dotalicie ac rerum secum apportatarum eidem Bothow marito suo pure et simpliciter relaxasset, tum eciam, quia quendam seruum suum tempore tradicionis sue secum adductum,(quem) manumittere intendebat,pro communi necessitate uendidissent, nunc ob remedium anime sue manumittere dignaretur. Volens igitur idem Comes Bothow superne peticioni predicte uxoris sue satisfacere, coniugalis matrimonij dileccionem ad memoriam reuocando, et saluti eiusdem per huiusmodi manumissionis contractum salubriter prouidere, prefatam Zelew, et filium suum Paulum personaliter in nostri presencia constitutos, dictus Comes Bothow coram nobis uoluntate spontanua manumisit, donauit, dedit, et contulit eos perpetue libertati; ita quod decetero ipsi uel ab eis descendentes, ad ipsum Comitem Bothow, uel ad aliquem alium de cognacione sua nullius obnoxietatis necessitudine debeant pertinere; sed tanquam natiue libertatis ac ingenuitatis pri-

uilegio cum omni posteritate sua gaudere perhemniter debeant et foueri. Obligando se, quod quicunque processu temporum ipsam Zelew et Paulum filium suum supradictos, aut ab ipsis descendentes, racione condicionis pristine, in iudicio uel extra iudicium temptauerit propulsare, idem Comes Bothow tenebitur eos expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo.

(Hártya s hártyazsinegen a pecsét. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 28. Nr. 12. *Knauz.*)

197.

A pozsonyi káptalan bizonysága, hogy Pozsony város községe, és Jakab, annak előbbi bírája, egy köztök fenn forgó pert barátságos úton ki egyenlítettek. 1287.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniversorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Tyrwardo villico, duodecim juratis ac vniuersitate civium Ciuitatis Posoniensis ab una parte, Jacobo quondam villico cive de eadem ab altera coram nobis personaliter constitutis, iidem Tyrwardus villicus, jurati ac vniversitas civium fuerint confessi, quod cum super terra existenti retro castrum Posoniense inter duos rivulos Wydurcha vocatos, habita, prout dicebatur, per ipsum J. villicum ex collacione Regia inter ipsos cives et eundem J. villicum fuisset questionis materia suscitata, licet super eadem terra inter eos fuisset diutius disceptatum, ad vltimum tamen reducti essent ad talem pacis et concordie vnionem; quod quia idem J. villicus assumpsisset et promisisset ad omnem promocionem, commodum, re-

formacionem et bonum statum Civitatis suam sollertem curam et sollicitudinem, consilio et auxilio indefessis serviciis sagaciter inpensurum, et vt ipsi cives ad hec omnia obnixius ipsum J. villicum allicere et adtrahare possent, ac de prompto eum efficerent prompciorem, predictam terram cum omnibus vtititatibus et pertinenciis suis eidem J. villico et omni posteritati sue reliquissent, et nunc eciam in maioris certitudinis evidenciam in nostri presencia singuli singulariter et vniuersi vniuersaliter ex parte sui et quoad ipsos reliquerunt et permiserunt pacifice et quiete in filios filiorum irrevocabiliter possidere perpetuo et habere. In cuius rei memoriam presentes concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum in quindenis Beati Georgii Martiris anno Domini M°. CC°. octuagesimo vij°.

(Az eredeti után, melyről a pozsonyi káptalan pecséte függ.)

198.

A veszprémi káptalan bizonyságlevele azon osztályozásról, melyet Cybrian és Cheykat grófok Usa nevű birtokukban tettek. 1287.

Nos Capitulum Vesprimiensis Ecclesie significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod constitutis coram nobis Comite Cybriano de villa Vrs pro se et pro fratribus suis ab una parte, et ab altera Comite Cheykat de villa Vsa similiter pro se et pro fratribus suis; per quos propositum extitit taliter et relatum, quod habita dissensione super terris ipsorum in dicta villa Vsa existentibus per composicionem proborum virorum talis inter ipsos facta diuisio extitisset; quod in ius et proprium Comitis Cybriani a parte septemtrionis, ad porcionem vero Comitis Cheykat a parte meridiei, per eorum consensum ipsius terre binis metis sub-

scriptis separando seu distiquendo fuissent deuoluta (igy). Incipit enim prima meta eiusdem terre iuxta terram eiusdem Comitis Cybriani a Stephano filio Stephani emptam, et terram ipsius Comitis Cheykat, vbi sunt due mete; et exinde procedit per quandam semitam, que ducit ad vineam, et in fine eiusdem semite sunt due mete; et progrediendo abhinc ad longitudinem vnius jugeris terre sunt due mete; demum declinat abinde ad partes occidentis ad quandam pirum, vbi sunt due mete; et deinde juxta quoddam virgultum protendit ad occidentem remanente ipso virgulto Comiti Cybryano, Comiti vero Cheykat terris arabilibus remanentibus, vbi sunt due mete; deinde procedit per meridiem inter terminos vinearum et terrarum arabilium, et venitur ad arborem nucis, vbi sunt due mete; et de fine ipsarum vinearum vadit ad quandam arborem piri duos ramos habentis, vbi sunt due mete; abhinc autem tendit inter terminos terrarum arabilium et vinearum ad meridiem, vbi sunt due mete, quarum vna est sub arbore nucis in porcione Comitis Cheykat, alia vero sub arbore ilicis in porcione Comitis Cybriani; et deinde vadit inter vineas Comitis Otman et vineas dicti Comitis Cheykat ad arborem pomi, vbi sunt due mete antique; et inde ascendit ad verticem vinee Bud, et descendit inter vineas sacerdotis ad partes meridionales, vbi sunt due mete antique; abinde autem iuxta vineam Stephani, quam habet in valle, descendit ad vineam Detrici, et ibi sylua remanet in porcionem Comitis Cybriani; et juxta eandem vineam Detrici in magna via ascendit ad montem ad partes occidentis ad quandam rupem, que *hegku* uocatur; et ibi terminatur. Adiectum est eciam per partes, quod literas, si quascunque habent super ipsa terra prius emanatas, casse et friuole haberentur, et penitus contra alteram partem in notam calumpnie incidat, si exhibuerit aliquas litteras, eo facto. Dicimus eciam, quod eedem partes vsque reuolucionem presentis anni super premisse terre diuisione litteras nostras priuilegiales recipere tenebuntur; quod si non fecerint, post annum presentibus minime valituris. Datum anno Domini M°CC° octuagesimo septimo in octauis Sancte Crucis.

(Eredetie a veszprémi káptalan levéltárában.)

199.

IV. László király a pozsonyi polgároknak Széplak helységét adományozza. 1288.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis quibus expedit presencium noticiam habituris salutem in vero salutari. Ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus pervenire, quod quia ciues nostri Posonienses per hostilem insultum Regis Boemie, inimici nostri capitalis, fuerunt miserabiliter devastati, ita vt nec habebant vnde se possent sustentare, consideratis ipsorum inedijs et paupertatibus, vt hij, qui de nostris ciuibus aufugerant, in eandem redirent ciuitatem, et per hoc ipsa eadem ciuitas nostra Regalis ampliari ualeat et augeri, quandam villam Zeplak vocatam circa Posonium existentem, in qua hospites ipsius castri Posoniensis resident et morantur, cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis vniuersis, videlicet agris, vineis et cybrionibus vinearum earundem, memoratis ciuibus nostris de Posonio, ex certa sciencia et mera liberalitate dedimus, donauimus et contulimus iure perpetuo et irreuocabiliter pacifice possidendam, tenendam pariter et habendam; volentes, ut nullus Comitum Posoniensium vel aliorum quorumcunque, preter auctoritatem ciuium nostrorum, auctoritatem habeat in eandem. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes dari fecimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis virri Th. Dei gracia Albensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo CC° LXXX° octauo, V-to kalendas Aprilis, Regni autem nostri anno quintodecimo.

(Eredetie Pozsony város levéltárában.)

200.

IV. László király a pozsonyi várcsőszöknek a két Widrich nevü folyó közt fekvő földét Jakabnak, Pozsony város bírájának adományozza. 1288.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Regalis sublimitas suorum subditorum fidelia et multiplicia obsequia debet et consueuit intueri occulo perspicaci, et eis digne remuneracionis premijs respondere iuxta eorum prerogatiuam et exigenciam meritorum. Hinc est, quod ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum fidelis noster Jacobus Judex ciuitatis nostre Posoniensis in multis et arduis negocijs Regni nostri et nostris nobis deuotissime multipliciter et fideliter seruiuisset in feruore fidelitatis eximie persistendo, in legacionibus nostris perferendis ultra terminos Regni nostri, pluribus uicibus suam personam fortune casibus et periculis exponere non formidans; nos considerantes eius obsequiosa merita et meritoria obsequia, specialiter fauore Regio prosequenda, et ei volentes dignis occurrere donatiuis; vt alij eius exemplo ad amplioris fidelitatis studia fidelius et deuocius excitentur; maxime pro instantissimis peticionibus venerabilis patris domini Lodomerii miseracione Diuina Strigoniensis Archiepiscopi et Comitis perpetui loci eiusdem, dilecti et fidelis nostri; cui tanquam patri nostro spirituali et specialiter reuerendo, in rebus spiritualibus sincere submittimus caput nostrum, quem omni bono prosequimur et honore, terram custodum silue castri nostri Posoniensis retro ipsum castrum Posoniense coustitutam, inter duos fluuios Wydriche nuncupatos, a iurisdiccione et proprietate eiusdem castri nostri et Comitis sui, et jobagionum suorum excipientes, auctoritate presencium, et pariter eximentes, vna cum suis utilitatibus,

videlicet chybrionibus vinearum, locis molendinorum et villis, qui et quas idem Jacobus Judex fecerit, parauerit, construxerit et posuerit in terra eadem, et insulis, nemoribus, fenilibus, virgultis et alijs pertinencijs, et attinencijs vniuersis, eidem Jacobo Judici, et per eum suis posteritatibus dedimus, donauimus et contulimus jure perpetuo pacifice possidendam, a tempore videlicet introitus antiquorum Tartarorum hactenus desertam, vacuam et suis habitatoribus destitutam, concedentes et assignantes eisdem ipsam terram et eius vtilitates, sub eisdem metis, terminis et limitacionibus, et in eadem plenitudine, sub quibus predicti custodes silue dinoscuntur eam antea possedisse. Cuius quidem termini terre taliter distinquuntur, sicut ab ore venerabilis viri magistri Pauli Prepositi Strigoniensis, Legum Doctoris, et Administratoris Quinque Ecclesiarum, dilecti et familiarius clerici domus nostre, in hac parte nuncij eiusdem domini Archiepiscopi, recollegimus et didicimus seriatim, quod eadem terra situata retro castrum Posoniense inter duos riuulos, quemadmodum est premissum, quorum vnus a parte castri Posoniensis Nog Wyzdrice nuncupatur, et alter a parte castri Dywen Ozzywizdrice appellatur; et qualitas et quantitas eiusdem terre est tanta, quod potest eadem sufficere cum siluis, virgultis, terris non arabilibus et paucis arabilibus ad triginta aratra; et alie mete ibidem non sunt, nisi quod ijdem duo riuuli distinquunt terras castri Posoniensis et terras castri nostri de Dywen. Latitudo autem ipsius terre incipit ab oriente a parte castri Posoniensis, et protenditur usque ad terras predicti castri de Dywen ad occidentem, et potest habere in latitudine spacia ad longitudinem viginti jugerum. Longitudo vero incipit a parte meridionali a Danubio inter eosdem riuulos, et protenditur ad septemtrionalem partem vsque ad magnam viam, per quam itur in villam Stumpa, et ibi finitur. Et quia donaciones Regum sunt largius interpretande, volumus firmiter statuentes, vt (preter) ipsum Jacobum Judicem et eius filios et successores, in predicta terra et suis vtilitatibus nec Comites Posonienses, qui pro tempore fuerint constituti, nec aliquis officialium vel jobagionum suorum habeant aliquam potestatem ex huiusmodi excepcione nostra, totum ius et dominium dicte terre et vtilitatum suarum in personas eiusdem Jacobi, Judi-

cis videlicet et posteritatum suarum in perpetuum transferentes; ita vt ex hac donacione nostra eiusdem terre et vtilitatum suarum veri domini et legitimi possessores effecti, eandem terram possidendi, et de ea quodlibet aliud faciendi, vna cum suis vtilitatibus, iuxta suarum arbitrium et lubitum voluntatum liberam habeant licenciam et plenariam facultatem. Vt igitur huius donacionis nostre series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit per qnempiam hominum irritari seu eciam retractari, presentes litteras eidem Jacobo Judici duplicis sigilli nostri munimine dari fecimus communitas. Datum per manus venerabilis patris domini Th. Episcopi Waciensis, aule nostre Canceliarij dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° LXXX° VIII° quarto Idus Aprilis, Regni autem nostri sextodecimo.

(Eredetie Pozsony sz-k. város levéltárában.)

201.

Erzsébet királyné a Buzád nemzetségi Jakabnak a töle elvett birtokait viszszaadományozza. 1288.

(E)lyzabeth Dei gracia, maior Regina Hungarie, omnibus Christi fidelibus presentem paginam intuentibus, salutem in salutis largitore. Ad wniuersorum tam presencium quam posterorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum magistrum Jacobum filium Ponyth de genere Buzad, quidam de nostris Baronibus capitales inimicy eiusdem nobis frequenter et asidue acusassent, non debita fidelitate nobis et filio nostro domino Regi in legacionibus nostris, quando ad partem meridionalem duxeramus transmittendum, seruiuisse, nos predictorum Barronum nostrorum, consilijs et uerbis friuolis aquiscentes, totam collacionem nostram, videliset willam Chehy, tres willas Dobza in Comitatu de Se-

gusd, duas willas Ouoche, et Berzenyche uocatas in Comitatu de Posega exhistentes, ab e(o)dem reuocaueramus, et receperamus, et quia eciam quendam tauarnicum nostrum, Paulum nomine, fecerat interimi. Wnde nos super premissis omnibus certocercius sumus experti, ut hec omnia ex odij fomite contra eundem fuerant exorta, ut eundem a nostro seruicio sub malo zelo possint separare, scientes eundem esse immunem in hoc facto et innocuum, et licet idem Paulus predictus merito fuerit interfectus, wxori et agnatis eiusdem Pauli interfecti secundum sentenciam Barronum nostrorum satisfecit. Unde attendentes totam ipsius fidelitatem et seruicia, que nobis a longo tempore inpenderat, predictam willam Cheby, tres willas Dobza, et willas Berzenyche et Ouacha nominatas reddimus et restituimus eidem ex uoluntate filij nostri karissimi, pleno iure perpetuo in filios filiorum possidendam irreuocabiliter, sicut contuleramus ab antiquo, cum emnibus vtilitatibus et pertinencijs wniuersis. Wt presens donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes concessimus litteras duplicis sigilli munimine roboratas. Datum per manus magistri Laurencij Prepositi de Posaga, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno gracie M° CC° octuagesimo octauo.

Jegyzet. E bőrhártyán kelt Kisfaludy Sándor példányának hátára a XIV. századi kéz ezeket írta: „Litera priuilegyalis super possessione Kalmanchehy." Másolta Horvát István. *Érdy.*

202.

IV. Miklós pápa II. Uros Istvánt szerb királyt inti, hogy a római egyház egységéhez térjen. 1288.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei viro magnifico Urosio Illustri Regi Sclavorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro. Eterni patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostraverat invidia suggestione dolosa, volens ex caritate nimia misericorditer reparare, filium suum unigenitum consubstantialem sibi de celi excelso solio ad infima mundi misit, qui preelecte virginis utero, Sancti Spiritus cooperatione conceptus, et ex amina rationali et carne humana verus homo factus, ac per hoc perfectus Deus, perfectus homo, unus Dominus Jesus Christus, una persona in utraque perfecta natura, cunctis visibilem se ostendit, et salubribus homines institutis informans, vitamque ipsius indice perfecte doctrine demonstrans, dignatus est post sancte conversationis exempla et evangelice institutionis eloquia sub dire mortis supplicio mortem pati, ut de amaro mortis sue calice temporalis hauriret homo vite dulcedinem sempiterne. Pro ipsius ergo generis humani redemptione, Christus se hostiam exhibens, salutis dicti generis humani hoste prostrato, illud de opprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis, superne illi patrie hostium reserando, et deinde resurgens a mortuis, ac in celum ascendens, Spiritum Sanctum sibi patrique consubstantialem et ab utroque pariter procedentem misit in Apostolos, quo congregavit, univit st roboravit Ecclesiam, cui Beatum Petrum Apostolorum principem prefecit, ac vicarium sibi reliquit in terris, animarum curam committens eidem, ut earum saluti, pro qua suam humiliavit altitudinem, intenderet vigilanter, tradendo sibi claves Regni Celorum, per quas ipsi suique successores potestatem aperiendi eiusdem Regni ja-

nuam obtinerent. Unde nos predicti vicarii, disponente Domino, licet immeriti successores effecti, super omnia, que nobis ex iniuncto incumbunt officio ad tuam aliorumque salutem nostre intentionis dirigimus aciem, ad hanc precipue mentis nostri destinamus affectum, circa ea diligenti studio et studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut deviantes in viam veritatis adducere, 'omnesque lucrum facere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia nemo pervenire valet ad viam veritatis eiusdem, nisi per fidem Catholicam a Deo et Sanctis Apostolis traditam, quam Sancta Romana Ecclesia profitetur et servat, Magnitudinem tuam monemus, deposcimus et hortamur in domino Jesu Christo, quatenus pie considerans, quod una est fides, extra quam nullus omnino salvatur, et sine qua Deo impossibile est placere, ad ipsius venias fidei unitatem, eamque fideliter teneas et observes, nichilominus populum tue ditioni Regis eterni potestate subiectum ad eandem unitatem reducas, et in illius observatione tuo exemplo laudabili et piis exhortationibus studeas conservare, ita quod ex hoc a patre luminum eterni consequaris luminis claritatem. Ceterum quia humana renitente natura, uno eodemque tempore diversis locis personaliter adesse nequimus, ne ullatenus negligentie relinquamus absentes, ad eos viros providos et discretos transmittimus vice nostra, ipsorum ministerio circa illos Apostolice servitutis debitum exolventes, propter quod viros electos de fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, in lege Domini plenius eruditos, dilectos scilicet filios fratres Marinum et Cyprianum latores presentium, ad te duximus destinandos, ut tu tuusque populus ipsum Dei filium Jesum Christum, suam gloriosam matrem ac fidei Christiane observationem ipsorum fratrum salutaribus traditionibus plenius agnoscatis. Fides autem Catholica hec est: Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, eternum, invisibilem et incommutabilem; credimus Sanctam Catholicam et Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum; credimus etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam eternam; credimus etiam novi et veteris testamenti, legis ac Prophetarum

et Apostolorum unum esse auctorem, Deum ac Dominum omnipotentem. Hec est vera fides Catholica, ac hanc super dictis articulis tenet et predicat Sacrosancta Romana Ecclesia: sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia et ab aliis malitia introductos, dicit et predicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos; sed per veram penitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vere penitentes in caritate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et ad penas huiusmodi revelandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, misse scilicet sacrificia, orationes et elemosinas, et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consveverunt secundum Ecclesie instituta. Illorum igitur animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, que post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exute, prout superius dictum est, sunt purgate, in celum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas, eadem Sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asseverat, et quod nichilominus in die judicii, omnes homines ante tirbunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam et docet eadem Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta; unum scilicet baptizma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem Episcopi conferunt crismando renatos; aliud est penitentia; aliud eucharistia; aliud est sacramentum ordinis; aliud est matrimonium; aliud est extrema unctio, que secundum doctrinam Beati Jacobi irfirmantibus exhibetur. Sacramentum eucharistie ex azimo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem domini Jesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias et deinceps nuptias successive

licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque Sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et Principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinens, quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum principe sou vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, sicut pre ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si que de fide suborte fuerint questiones, suo debet iudicio diffinire. Ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes ecclesie sunt subiecte, ipsarumque Prelati, et obedientiam et reverentiam sibi debent; apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit. Quarum multas, et Patriarchales precipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen prerogativa tam in generalibus Conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Datum Reate X. kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner Monumenta stb. I. k. 360. l.)

203.

IV. Miklós pápa Ilonát özvegy szerb királynét inti, hogy fiait Istvánt és Urost a római egyház egységére téríteni igyekezzék. 1288.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissime in Christo filie Elene Regine Sclavorum Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Gratiam agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut accepimus et utique acceptamus, ipso menti tue timorem sui nominis et amorem misericorditer inspirante, ab eo, qui solus habet in Regno hominum potestatem, dignitatis Regalis gloriam recognoscens, in Deum sinceram habes fidem, ac eius Ecclesiam zelo pietatis catholice veneraris. Hanc itaque fidem vigere in tua progenie cupientes, Magnificos viros Stephanum et Urosium, Illustres Reges Sclavorum, natos tuos, per nostras litteras hortandos duximus et monendos, ut pie considerantes, quod una est fides, extra quam nullus omnino salvatur, et sine qua Deo impossibile est placere, ad ipsius veniant fidei unitatem, eamque fideliter teneant et observent, nichilominus populum sue ditioni Regis eterni potestate subiectum, ad eandem unitatem reducentes, in illius observatione suo exemplo laudabili, et piis inductionibus studeant conservare. Ceterum ut iidem Reges eorumque populus ipsum Dei filium Jesum Christum, suam gloriosam matrem ac fidei Christiane observationem agnoscant, dilectos filios, fratres Marinum et Cyprianum de fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites et in lege Domini plenius eruditos, cum predictis nostris litteris destinamus; ideoque Celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus predictos Reges, natos tuos, ut devote redeant ad predicte fidei unitatem, et humiliter suscipiant nostra et predictorum fratrum salutaria monita, sedulis exhortationibus inducere non omittas, ipsosque in ob-

servantia et perseverantia fidei prelibate foveas et confortes: ita quod in tui ventris fructu letari, et benedicta inter mulieres vocari a Domino merearis; predictos quoque fratres habens pro Divina nostra reverentia propensius commendatos, sic eos favore benivolo prosequaris, quod tua propter hoc devotio dignis possit in Domino laudibus commendari. Datum Reate VI. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 259. l.)

204.

IV. Miklós pápà IV. László magyar királyt inti, hogy a kunok társaságával felhagyván, ismét a katholika hithez térjén. 1288.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio nostro L. Regi Ungarie Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina de gremio Matris Ecclesie seminata colligeres, Divine gratie participatione sentires, quod ipsa Ecclesia progenitorum tuorum merita clara rememorans, te baiulare ac lactare cepit ut filium, et tandem causa suggerente, maternis allocutionibus, ne sic clarum germen decideret, te informavit ac direxit indefessis sollicitudinibus et studiis oportunis, specialiter a tempore felicis recordationis N. Pape predecessoris nostri, prout ipsius predecessoris actus salutiferi representant. Sed prohdolor, sicut diversis scripturis et relatibusac alias fama divulgante, amare percepimus, tu desertis progenitorum eorundem vestigiis, fallibili collussione degenerans, licet interdum eiusdem matris exhortationibus acquiescere ore pretenderes, tamen in ruinam sponte prosilire dinosceris, dum Deum contempnere non vereris, vel revereri contempnis, et alias in precipitium te devolvis, destructionem fame proprie non aspernans, cuius notabiliter prodigus, positus es in notabile spectaculum gentibus, ut tanqnam criminosus merearis

a singulis denotari; pro eo maxime, quod religione Christiana postposita, vel potius abiecta, in contemptum Divini nominis te cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis et Paganis conversatione dampnata confederare te diceris, specialiter vivendi cum eisdem Neugeriis norma sumpta, et abiecta, immo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Regina Ungarie Illustri, deseviens in te ipsum et Regiam domum Ungarie, que consueuit claris germinibus fecundare, in ipsius domus exterminium thorum fedare non metuis coniugale, sicque, si premissis veritas suffragatur, degis Divina et humana lege vetiti criminis labe pollutus in scandalum hominum, et redderis in conspectu supremi nominis odiosus. Unde cum ex iniuncto pastorali nobis officio animarum curam genere teneamur, dolentes et merito, si talem de te reddere nos contingat in examine superni judicii rationem, et cupientes, ut salutis vitato dispendio, electorum aggregari consortio merearis; Celsitudinem Regiam monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eorumdem Tartarorum, Sarracenoeum, Neugeriorum ac aliorum infidelium dimissis erroribus, in quorum observatione a via lucis deviatur, et itur in tenebras, que docet et servat universalis Ecclesia, velut plantatus in domo Domini devote conversionis studiis amplectaris, et eandem Reginam resumens et in securo statu conservans, eam ut teneris, maritali affectione pertractes, ita quod tu per hec plene percipiens salutis Divine flagrantiam, efficatius ad amorem eius allectus, ad dona celestis gratie valeas pervenire, ac fugato nubilo dicta domus Ungarie reluceat titulis solite claritatis. Et ne videatur correctio paterna tepescere circa filium delinquentem, venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Strigoniensi, de cuius circumspectione ac examinata probitate confidimus, per alias diversas litteras nostras iniungimus, ut in hac parte datas sibi a Domino virtutes exercens, te a sic nephandis erroribus retrahat, et ad viam salutarem studiosa operatione reducat. Et si dicti Tartari, Sarraceni, Neugerii et pagani dampnatos suos conatus contra Catholice fidei professores exercitare voluerint, ne ipsorum invalescat severitas in dispendium fidei Christiane, contra predictos Tartaros,

Saracenos, Neugerios ac paganos, ac alios adherentes eisdem, vel eos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscumque status aut conditionis extiterint, per se vel per alium seu alios studeat sollicite proponere verbum crucis; et contra te specialiter, nisi predictam Reginam resumpseris, et eam, ut predicitur, tute tractaveris, exerceat censuram ecclesiasticam auctoritate nostra munitus. Et nichilominus ceteris Regibus, Ducibus, Comitibus et Baronibus, ac populo illarum partium scribimus, ut super hiis Archiepiscopo assistant eidem, nec cessabimus, quantumcumque invite, si oportuerit, quod non credimus, ad tuam correctionem partes Apostolice sollicitudinis, sicut expediet, adhibere. Per hoc autem, quod te in presenti littera cum solite benedictionis eloquio salutamus, quia nondum de huiusmodi tuis actibus patet nobis veritas narratorum, scutum alicuius confidentie non assumas, quominus hominis et canonis sententiis, si eas forsan incurreris, sis ligatus. Datum Reate VI. Idus Augusti, (Pontificatus nostri) anno primo.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner Monumenta I. köt. 357. l.)

205.

IV. Miklós pápa ugyanazon tárgyban az esztergami érsekhez, a szomszéd országok fejedelmeihez, s Magyarország és a szomszéd vidékek főpapjaihoz és népeihez. 1288.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Si sparsa semina de gremio Matris Ecclesie seminata carissimus in Christo filius noster L. Rex Uugarie Illustris colligeret, Divine gratie participatione sentiret, quod ipsa Ecclesia progenitorum suorum merita clara rememorans, eum baiulare ac lactare cepit ut filium, et tandem causa sug-

gerente, maternis allocutionibus, ne sic clarum germen decideret, informavit ipsum ac direxit indefessis sollicitudinibus et studiis oportunis, specialiter a tempore felicis recordationis Nicolai Pape predecessoris nostri, prout ipsius predecessoris actus salutiferi representant. Sed, prohdolor, sicut diversis scripturis et relatibus, ac alias fama divulgante, amare percepimus, ipse Rex desertis progenitorum suorum vestigiis, fallibili collusione degenerans, licet interdum eiusdem matris exhortationibus acquiescere ore pretenderet, tamen in ruinam sponte prosilire dinoscitur, dum Deum contempnere non veretur, vel revereri contempnit, et alias in precipitium se devolvit, destructionem fame proprie non aspernans, cuius notabiliter prodigus, positus est in notabile spectaculum gentibus, ut tanquam criminosus mereatur a singulis denotari; pro eo maxime, quod religione Christiana postposita, vel potius abiecta, in contemptu Divini nominis se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis et Paganis conversatione dampnata confederare se dicitur, specialiter vivendi cum eisdem Neugeriis norma sumpta, et abiecta, immo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Regina Ungarie Illustri, deseviens in se ipsum et Regiam domum Ungarie, que consueuit claris germinibus fecundare, in ipsius domus exterminium thorum fedare non metuit coniugalem, sicque, si premissis veritas suffragatur, degit Divina et humana lege vetiti criminis labe pollutus in scandalum hominum, et redditur in conspectu supremi nominis (igy) odiosus. Vnde cum ex iniuncto pastorali nobis officio animarum curam gerere teneamur, dolentes et merito, si talem de predicto Rege reddere nos contingat in examine superni judicii rationem, et cupientes, ut salutis vitato dispendio, electorum aggregari consortio mereatur; fraternitati tue, de cuius circumspectione ac examinata probitate confidimus, iniungimus, ut in hac parte datas tibi a Domino virtutes exercens, predictum Regem a sic nephandis erroribus retrahas, et ad viam salutarem studiosa operatione reducas. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Rex predictam Reginam a carcere liberatam resumere, ac ut predicitur, tute tractare noluerit, tu eum ad id per censuram ecclesiasticam

auctoritate nostra compellas. Non obstante si eidem Regi a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, vel terre ipsius interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Datam Reate VI. Idus Augusti. (Pontificatus nostri) Anno primo.

In e. m. venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Plebanis et aliis Ecclesiarum Prelatis ac Ministris, Guardianis et Custodibus, ac Capitulis et Conventibus, Cisterciensis, Sancti Benedicti, Premonstratensis, Predicatorum et Minorum fratrum ac aliorum Ordinum, et universo Clero, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani, Militie Templi et Sancte Marie Theotonicorum Magistris, Preceptoribus et fratribus per Regnum Ungarie ac circumpositas provincias constitutis etc. Si sparsa etc. ut supra usque reducat. Ut igitur idem Archiepiscopus tamquam Christi operarius utilius proficere valeat, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes, quod per hoc posset catholice fidei deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, Paganos et alios predictos eidem Archiepiscopo ad requisitionem suam sic favorabiliter assistere studeatis, quod huiusmodi repressis erroribus, vobis cedat ad laudis titulos et salutem. Datum Reate VI. Idus Augusti (Pontificatus nostri) anno primo.

In e. m. dilectis filiis nobilibus viris . . . Polonie ac . . . Sclavonie aliisque Ducibus, Marchionibus, Comitibus et Baronibus, ac universo populo Christi fidelibus per Regnum Ungarie ac alias circumpositas provintias constitutis.

In e. m. carissimo in Christo filio . . . Regi Romanorum Illustri, verbis competenter mutatis.

In. e. m. carissimo in Christo filio . . . Regi Boemie Illustri.

In e. m. nobili viro . . . Duci Austrie Illustri.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 358. l. V. ö. IV Miklós pápa Lodomér esztergami érsekhezi ezen tárgyban intézett másik levelét lásd Fejérnél Cod. Dipl. V. köt. 3. r. 420. l.)

206.

IV. Miklós pápa meghagyása Lodomér esztergami érsekhez Erzsébet magyar királyné fogságból szabadulása tárgyában. 1288.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum Romana Ecclesia per obitum felicis recordationis Honorii pape IV. predecessoris nostri vacante, Collegium Cardinalium ipsius Ecclesie, de quorum numero tunc eramus, tibi quasdam litteras destinavit, inter cetera continentes, qualiter dictus predecessor suas tibi dirigendas litteras confici fecerat et bullari; sed eo morte prevento, earum non fuerit missio subsecuta. Continebatur autem inter alia in ipsius predecessoris litteris supradictis, quod carissimus filius noster L. Rex Ungarie Illustris quasi alienatus ab utero Matris Ecclesie, in ipsius non expavens delinquere sacramentum, a carissima in Christo filia nostra E. Regina Ungarie Illustri consorte sua, non sine coniugalis thori feda violatione divertens, non solum infidelibus se copulavit mulieribus impudenter, verum etiam, ut liberius se fedaret cum illis, dictam Reginam carceri mancipavit, in quo subtracto sibi omni subventionis auxilio, idem Rex eiusdem Regine nobilitatis, quam ex Regali traxit prosapia, consideratione postposita, ipsam fame ac nuditate, subtractis sibi nichilominus aliis necessariis, affligebat, propter quod dicta Regina inter angustias maximas constituta, lacrimis irrigatur assiduis et suspiriis fatigabatur amaris. Unde prefatus predecessor ad dictam Reginam habens paterne compassionis affectum, ac propterea cupiens optate respirationis et oportune consolationis sibi commoda procurare, ne, quod absit, ipsius innocentia inter squalores carceris deficeret fatigata, te attente rogabat, tibique dabat per dictas litteras in mandatis, ut sedulis studeres vigiliis eandem Reginam de carcere meroris educere ac restituere plenarie libertati, sibique faceres etiam omnia

iura tam dotalia, quam alia iuxta consuetudinem Regni Ungarie hactenus in eodem Regno pacifice observatam impendi, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appelatione postposita, compescendo. Quia igitur eidem Regine super tam periculoso et miserabili statu eius affectu paterno compatimur, magnoque desiderio ducimur, ut ei post tante tribulationis nubilum serenitas votive consolationis accedat, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis auctoritate nostra procedas, iuxta prefati predecessoris expressam superius continentiam litterarum, contradictores et rebelles per censuram ecclesiastcam appellatione postposita compescendo. Non obstante, si eidem L. Regi a Sede Apostolica sub quacumque forma vel expressione verborum indultum existat, quod excommunicari, aut quod terre ipsius interdici non possint per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, aut quavis alia indulgentia sedis eiusdem, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Datum Reate VI. Idus Augusti. Pontificatus nostri anno primo

(III. Miklós pápa Regestaiból, Theiner id. m. I. k. 359. l.)

207.

Az esztergami káptalan bizonyságlevele, hogy István és Péter mesterek Csák nemzetségből palásti birtokukat több palásti nemeseknek eladták. 1288.

Universis presentes literas inspecturis Capitulum Ecclesie Strigoniensis salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod cum nobiles viri Stephanus et Petrus magistri, fylii magistri Marci de genere Chaak ad nostram presenciam accedentes, duas partes de totali terra Palasth vocata in tres porciones equales divisa, sita in Comitatu Huntensi, sub uno cursu metarum, que olim erat terra castrensium de Hunth et de Bolonduch, et per dominum Belam quartum qondam (igy) Regem Hungarie recordacionis felicis, magistro Stephano filio magistri Mathey, patri (? avo) videlicet eorundem filiorum magistri Marci, prout in privilegio ejusdem domini Bele Regis habetur, collata exstiterat et concessa, hanc collacionem domini Bele Regis, domino Ladislao Dei gracia tercio, nunc Illustrissimo Rege Hungarie, per suum privilegium confirmante, et post obitum ipsius magistri Stephani, per eundem dominum Regem Ladislaum eadem terra Palasth, ipsis filijs magistri Marci data fuerat et donata, sicut in patentibus literis eiusdem domini Regis Ladislai vidimus contineri, se confessi fuissent de Regia permissione vendidisse et assignasse, partim scilicet nobilibus viris Comiti Petro filio Bors, Petro, Bors et Bowaz filijs suis, et partim Comiti Bogonye, et Magistro Job filijs Joance (igy) et Liptou filio Gyurk de Palasth, et eorum posteritatibus successivis, pro octoginta sex marcis et dimidia ac octo ponderibus legalis argenti, ad quarum soluciones eciam termini fuerant in nostris literis pluries assignati; tandem terminis ad soluciones huiusmodi deputatis, ex parte predictorum nobilium de Palasth filijs eiusdem magistri Marci, predicta quantitas debiti ex-

stitit plenarie persoluta, ad valorem videlicet decem pensarum denariorum Vyennensium argenti pro marca qualibet ponderata. Et sic per assignacionem et vendicionem eorundem filiorum magistri Marci, quemadmodum est premissum, una pars eiusdem terre Palasth tocius, in tres porciones equales partite, et suarum utilitatum, videlicet tributi, loci molendinorum, fenilium et silvarum, nec non aliarum pertinenciarum suarum, eidem Comiti Petro et filijs suis, ac eorum posteritatibus cessit et statuta est in perpetuum possidenda, alia porcione eiusdem terre et premissarum utilitatum ac pertinenciarum suarum eisdem filijs Joance et Gyurkonis ac eorum posteris, ad habendum jure perpetuo devoluta; ita tamen, quod ab omnibus questionibus racione duarum parcium predicte terre Palasth totalis', et utilitatum suarum, ullo unquam tempore suscitatis, prefati filij magistri Marci et eorum filij et posteritates, ipsum Comitem Petrum et filios suos, nec non filios Joance et Gyurkonis et eorum successores expedient suis laboribus et expensis in perpetua tenuta et pacifica possessione duarum parcium dicte terre, et utilitatum, suarum eos indempniter conservando; prout ad hec omnia et singula premissorum irrevocabiliter observanda, se et suos posteros firmiter obligarunt. In cujus rei firmitatem et memoriam sempiternam presentes ad peticionem parcium predictarum nostro sigillo dedimus communitas. Datum per manus discreti viri magistri Cypriani Ecclesie nostre Lectoris, anno Domini M. CC°. LXXX. octavo, decimo quarto kalendas Februarii.

(Hártyán a törött pecsét sárga vörös selymen függ. Lonthói közbírt: levéltár, Caps. A. Fasc. 1. Nr. 3. Közli *Rakovszky István* úr.)

208.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy több szurcsuki birtokosok birtokuk határai iránt egyezkedtek. 1288

Nos Characius Prepositus et Capitulum Ecclesie Jauriensis damus pro memoria, quod Erd, cum Vinabur, Herando, et Samsone nobilibus de Szwrchwk sua et omnium consangvineorum suorum in personis ex una, parte vero ex altera Beuez filius Peturua de Szwrchuk similiter sua et Poza filii Cheketz in personis coram nobis constituti, iidem Erd, Vinabur, Herandus et Samson in suis et suorum consangvineorum personis fassi sunt: quod porcionem possessionariam eorundem Beuez et Poza in Szwrchuk in illa parte, que illis a Juda Charatino in communi divione obtigit, a porcionibus suis certis metis discernendo, eisdem Beuez et Poza propter bonum pacis penes dicti Juda Characii et ejus consangvinei porciones pacifice possidendam permiserunt. Cujus separate porcionis metas hoc modo retulerunt: primo ab oriente super prata de Ugh tres mete sunt; inde tendit et vadit ad magnam viam, que ad Bogdan ducit, et transit per Beuehaza; inde vertit supra, et vadit ad duas metas penes eandem viam; inde modice revertit ad orientem, ubi due mete sunt; hinc iterum vadit ad superiorem partem versus Orozi, ubi due mete sunt; hinc iterum vadit ad orientem ad quandam sylvam Telekfey nominatam ad unam herbosam viam, ubi due mete sunt; inde transit per illam sylvam ad occidentem, et vadit iterum ad viam, que ex Orozy venit, ubi sunt due mete; iterum in eadem parte in illa via sunt due mete; inde ad superiorem partem vertendo ad longitudinem unius jugeri sunt due mete; inde tendit ad occidentem ad lacum Sik, ubi sunt eciam due mete; inde vertit iterum ad superiorem partem versus terram Dobai, et vadit ad duas salices, ubi due mete sunt; inde vadit ad inferiorem partem ad rubetum, ubi sunt due mete; inde vadit ad priores tres metas. Datum feria

proxima post festum Beate Luce Virginis anno Domini M CC. LXXX. VIII.

(Hiteles másolat után. *Nagy Iván.)*

209.

Erzsébet Potkó özvegye férjének megöletése gyanujával terhelvén Marcelt és Pált; az ügy végre közbenjárók segedelmével 10 márka lefizetése által a pozsonyi káptalan előtt kiegyenlítetett. 1288.

A. B. C.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod relicta Potko filia Pauli Els vocata, simul cum Aglenc filia sua ab una parte, Marcello filio Mychaelis et Paulo genero eiusdem de Scemet ab altera constitutis, personaliter coram nobis eadem relicta est confessa, quod cum ipsa super morte eiusdem Potko mariti sui contra eosdem Marcellum et Paulum materiam questionis suspicionis nomine suscitasset; licet super huiusmodi suspicione inter partes fuisset diucius disceptatum, ad ultimum tamen per composicionem proborum uirorum in decem marcis concordassent, quas videlicet decem marcas eadem relicta et filia sua antedicta ab eisdem Marcello et Paulo se plenarie recepisse asserentes, eosdem Marcellum et Paulum in nostri presencia super eadem suspicione reddiderunt innoxios et immunes et penitus expeditos; obligacione huiusmodi interserta, quod quicunque processu temporum eosdem Marcellum et Paulum super morte dicti Potko mariti sui temptauerit propulsare, eadem relicta et filia sua supradicta tenebuntur expedire pro-

prijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Dominica proxima ante festum Natiuitatis Beati Johannis Baptiste, anno Domini M° CC° octuagesimo octauo.

(Hártya. — A még ép pecsét hártyaszinegen függ. — Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 22. Nr. 1. *Knaus.)*

210.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Nyéki Jakab és Bodolo, Chene fiai, Joanka nevü szolgájukat és utódait szabadokká nyilatkoztatták. 1288.

Vniversis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam personaliter Jacobus et Bodolo, filij Chene de Nek, confessi sunt oraculo uiue uocis; quod cum pater ipsorum predictus Chene in extremis laboraret, sanus adhuc mente, inter cetera, que in suo ultimo testamento ordinaverat, quemdam seruum suum hereditarium Joanka nomine, filium Dere, pro salute anime sue manumiserit atque perpetue donaverit libertati; et ex nunc ipsi Jacobus et Bodolo paternum uotum pium esse considerantes et salubre, eundem Joankam eciam coram nobis personaliter comparentem, cum omni posteritate sua, pro Deo et pro remedio anime patris ipsorum, ac pro salute animarum suarum spontanea, libera et bona uoluntate manumiserunt et perpetue restituerunt et reddiderunt libertati; dantes eidem plenam facultatem cum omni posteritate sua ubicunque et apud quoscunque uellet libere commorandi; ita quod de cetero idem Joanka vel ab eo descendentes ad ipsos Jacobum et Bodolo antedictos nullius obnoxietatis necessitudine debeant perti-

neri, sed tamquam natiue libertatis priuilegio cum omni posteritate sua perenniter frui debeant et foueri; et insuper obligantes se, quod quicunque processu temporum ipsum, Joankam aut ab ipso descendentes racione condicionis pristine in iudicio uel extra iudicium attemptarent propulsare idem Jacobus et Bodolo tenebuntur eos expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno M. CC. octuagesimo octauo.

(Hártya. Nemzeti szinü selymen függ a még ép pecsét. Pozsonykáptalani levéltár. Capsa XIV. Fasc. 23. Nr. 28. *Knauz.)*

211

A pozsonyi kaptalan bizonyságlevele, hogy Butka, Wothai Ilerus özvegye, Fotka nevü szolgáját szabaddá bocsátotta. 1288.

A. B. C.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod domina Butka, relicta Ilerus de Wotha, filia Budocha, constituta personaliter coram nobis, quendam seruum suum, nomine Fotka, quem in recompensacionem dotis sue ac rerum paraphernalium iam pridem Nicolaus filius Elye de eadem Wotha tradiderat perpetuo possidendum, super qua quidem tradicione ex nouo nostrum priuilegium est confectum, in nostri presencia pro sue anime remedio manumisit et tradidit cum omni posteritate sua perpetue libertati, ita, quod inantea idem Fotka, uel heredes sui aut heredum suorum successores, ad ipsam, uel ad alium aliquem de cognatis suis racione alicuius obnoxietatis neccessitudine non debeant per-

tinere; obligando se, quod quicunque processu temporum, eundem Fotka, aut heredes suos occasione condicionis pristine, niterentur forsitan molestare, ipsa domina tenebitur eosdem expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M. CC. LXXX. VIII°.

(Hártya. A pecsét hártyazsinegen függ. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 23. Nr. 7. *Knauz.*)

212.

Mykud bán Péter erdélyi püspöknek sz. Miklós nevü birtokát adományozza azon 50 gira fejében, melyeket ő és elhunyt testvére Imre Fülöp fermoi püspök és pápai követ határozata szerint, mivel a szent földre menni elmulasztottak, fizetni tartoztak. 1288.

Nos Mykud Banus, filius Comitis Mykud de genere Kukenusrennolth tenore presencium significamus vniuersis Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, quibus presentes ostenduntur, quod cum felicis recordacionis magister Emericus karissimus frater noster, et nos, votum dicti patris nostri adimplere volentes, signacula vivifice crucis nostris humeris gestantes assumpsissemus, in subsidium Sancte terre Jherosolimam cupiendo proficisci, et hoc propriis non suppetentibus facultatibus nequiverimus adimplere, venerabilis pater dominus Philipus Episcopus Firmanus, per Hungariam et Poloniam tunc temporis Apostolice Sedis Legatus, dictum fratrem nostrum magistrum Emericum, et nos a uoto premisso absolvit, condicionem hujusmodi imponendo, quod idem magister Emericus et nos, in commutacionem ipsius nostri itineris, propter laudem nominis omnipotentis Dei, Beatissime Marie semper uirginis, matris eius, nec non omnium Sancto-

rum suorum ad utilitatem, uel opus alicujus ecclesie quinquaginta marcas offerremus, seu dare deberemus. Verum quum idem magister Emericus frater noster, antequam cum eodem solucionem ipsarum quinquaginta marcarum peregissemus, prout per memoratum dominum Legatum nobis injunctum exstiterat, evocante Divino iudicio, uita destitues (igy) de medio sit sublatus, considerantes, ne propter negligenciam, seu transgressionem solucionis premissarum quinquaginta marcarum anima ejusdem fratris nostri coram eterno judice aggravetur, et nos eciam forsan in futuro condempnemur, cum easdem quinquaginta marcas, deficientibus bonis nostris momentaneis, aliter dare et solvere alicui ecclesie non possimus, ad laudem nominis creatoris universe creature, et Beatissime Marie intemerate semper Virginis, matris eius, ac Beati Mychaelis Archangeli, nec non omnium sanctorum suorum, ob remedium anime dicti magistri Emerici fratris nostri, nostreque saluti consulentes, occasione debiti pretactarum quinquaginta marcarum quandam possessionem nostram Scenthmyklous nominatam, habitam et possessam ex donacione inclite recordacionis Bele Regis, et inprimis per ejusdem priuilegium, demum per priuilegium felicis memorie Regis Stephani, postea per privilegium magnifici Regis Ladizlai, nobis confirmatam et perpetuatam, in Comitatu de Torda juxta fluvium Aranas existentem, ab oriente terris Ecclesie Orodiensis, a meridie eundo superius per medietatem ipsius fluvii Aranas, a parte occidentali, cuidam possessioni nostre Kerekeghaz nominate, a parte septemtrionali terris nobilium de Zara Scinth vocate, inde procedendo alteri possessioni nostre Coppan nuncupate vicinantem et adiacentem, sicque revertentem ad terminos terre Orodiensis Ecclesie prenotate, cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis, terris scilicet arabilibus, silvis, virgultis, nemoribus, pratis et fenetis ac locis molendinorum, sub hiisdem antiquis metis, signis, seu terminis, quibus eam habuimus et possedimus, dedimus, tradidimus, donavimus, et legauimus racione operis ecclesie Beati Mychaelis Archangeli venerabili patri domino Petro Dei gracia Episcopo Transsilvano, et per eum suis successoribus, ipsi scilicet Episcopatui Transilvano perpetuo jure irrevocabiliter possidendam et habendam. Obligantes nos

et nostros successores, expedituros propriis laboribus ac expensis ipsum venerabilem patrem dominum Petrum Episcopum, et ejusdem successores ab omnium accione, seu grauamine, quam vel quod contra eundem dominum Petrum Episcopum, ejus successores per inclitum Regem Hungarie pro tempore existentem, uel quoscunque alios omnes processu temporis oriri contingeret racione possessionis annotate, uel de nostris possessionibus hereditariis, tam nos, quam nostri successores dabimus equiualentem possessionem ipsi possessioni Scentmyklous vocate dicto venerabili patri domino P. Episcopo, et per eum suis successoribus, Episcopatui videlicet Transsiluano, uel pro ipsa possessione eidem domino Episcopo aut Episcopatui suo, sine omni strepitu judicii coram venerabilibus viris Capitulo Albensis Ecclesie Transsiluane quinquaginta marcas fini argenti persolvemus, secus facere attemtantes penam duppli incurremus. Item obligamus nos et nostros successores, memorata priuilegia dictorum dominorum Regum exhibere, seu ostendere coram omnibus judicibus quandocunque tractu temporis necesse fuerit, uel expediens, que priuilegia et nunc eidem domino episcopo offerremus, nisi in hiisdem factum tributi nostri, et quam plures alie possessiones nostre annotate haberentur. Et sic pretactam donacionem cum presentibus litteris in premissis pendenti sigillo nostro fecimus cummuniri, eandem nichilominus donacionem seu legacionem ad majorem rei euidenciam, inconcussamque perpetuo firmitatem cum pacientissimo motu cordis nostri curauimus per priuilegiales litteras memorati Capituli Albensis Ecclesie roborare. Datum Albe, in Sancto Sabato, anno Domini M°.CC. . . . esimo octavo.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens I. k. 142. l. Igen rosszul Fejérnél Cod. Dipl. V. k. 3. r. 436)

213.

Törvénykezési okmány egy Brazza szigetén hozott birói itéletről 1288.

In nomine Christi Amen. Anno Natiuitatis eiusdem 1288. ind. prima, die 3-a mensis Aprilis, temporibus Illustris et egregii domini Johannis Danduli D. g. Ducis Venetiarum, et nobilis ac potentis viri domini Ruberti Quirino Potestatis Insularum Phare et Bracie. Intorta questione inter Clementem Grubisse et Mixam Petranich de insula Bracie super quandam terram vocatam Dobro Zirje, nobilis vir Franciscus Polani, miles et Vicarius in Bracia prefati domini Potestatis Ruberti, existens super loco differencie una cum suis judicibus de Bracia, nobilibus Cherusio Obelgano, Dobreza et Ceprigna Prodani, adjudicavit et sententiavit cum eis post audicionem testium et lecturam scripturarum, dictam terram de Dobro Zirje esse et pertinere Mixe Petranich, in presencia Mathei Jurjevich, Climpse Dobranich nobilium de Bracia et Pauli Osoris nobilis et habitatoris de Phara.

Et ego Crasovus filius Petri de Spalato, juratus scriba Communis Bracie scripsi et manu mea roboravi.

(Ciccarelli után. Osservazioni sulla isola della Brazza, Velencze 1801. 112. l. *Czech.)*

214.

IV. László király Pétert, erdélyi püspököt, kit több jószágtól megfosztott, visszahelyezi ismét azoknak birtokába. 1289.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui salutem operatus est in medio terre. Ad uniuersorum noticiam volumus pervenire, quod cum venerabilis pater P. Dei gracia Episcopus Transsiluanus ex precepto et mandato venerabilium patrum Lodomerii videlicet Strigoniensis, et Johannis Colocensis, Dei gracia Ecclesiarum Archiepiscoporum, dicencium auctoritatem Sedis Apostolice se habere et non ex proprio motu et voluntate, sicut ijdem Archiepiscopi prenotati coram nobis sunt confessi, Arbuz Cumanum, cognatum nostrum, et duos nepotes eiusdem, ac Moius Vojwodam nostrum Transsiluanum, dilectos et fideles nostros captivasset, et propter hoc solum possessiones donaticias per Inclitos Reges et Illustres, Belam videlicet clare memorie avum nostrum, et Stephanum felicis recordacionis patrem nostrum, nec non per nos, Ecclesie Beati Michaelis Cathedrali datas, factas et collatas, scilicet villam Culuswar cum suis pertinenciis, et villam Albensem cum territorio suo vniuerso, et alijs sibi attinencijs pertinentibus, nec non et alias donaciones nostras literis seu privilegijs nostris consolidatas, Ecclesie prelibate alienassemus revocando, tandem eodem venerabile patre nostram graciam et dileccionem obtinente, et per omnia immunem se nobis in execucione predicti et injuncti sibi mandati exibente et reddente, possessiones prelibatas, et omnes alias donaciones, super quibus litere, seu priuilegia nostra sunt concessa, eidem Ecclesie Beati Michaelis Archangeli reddendas duximus inrevocabiliter, ex gracia nostra pleniori et Regio cum favore, possidendas et habendas, prout hactenus Ecclesia memorata habuit

(et) possedit inconcusse ab antiquo, et ab omnibus illis, quibus villas, seu possessiones supradictas contuleramus, revocamus per presentes, et litteras nostras, eisdem super dictis possessionibus emanatas, cassas decernimus et inanes et iuribus penitus carituras. In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Apoldija inferiori, in festo Sancti Egidi Abbatis, per manus venerabilis patris, domini Gregorij, Dei gracia Episcopi Chanadiensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M°.C°C°. octogesimo nono, Regni autem nostri anno decimo septimo.

Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch z. G. Siebenb. I. köt. 146. l. Az okmányt hibásan adta ki Fejér Cod. Dipl V. k. 3. r. 454 l.)

215.

IV. László király Gyoui Miklós és Endre grófoknak visszaadja Gomord nevü birtokukat, melyet V. István király a karakoi vendégeknek adományozott. 1289.

Ladislaus . . . . . quod Nicolaus et Andreas Comites filii Andree de Gyou ad nostram accedentes presenciam quandam terram Gomord vocatam iuxta fluvium Morus existentem, hospitibus de Korokou per dominum Regem Stephanum karissimum patrem nostrum collatam, quam quidem progenitorum suorum hereditariam esse et fuisse asserunt, et olim ab eisdem alienatam, a nobis humiliter supplicando sibi reddi et restitui postularunt. Verum quia nos ipsam terram ex ueridica relacione quorum comperimus progenitorum eorundem Nicolai et Andree Comitum esse et fuisse hereditariam ab antiquo, et ab eisdem esse alienatam; et quia ius requirit, equitas suadet, et calculus deposcit racionis, ut quispiam suo iure pociatur, et nos unumquemque iuxta officium nostri re-

giminis in suis iuribus conseruare volumus et intendimus, predictam terram Gomord uocatam eisdem Nicolao et Andree Comitibus, et suis heredibus heredumque suorum successoribus cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis sub antiquis metis et terminis, tamquam ius ipsorum hereditarium, non obstantibus litteris seu priuilegiis ipsius domini Regis Stephani, aut domini Regis Bele aui nostri karissimi, per predictos hospites habitis et optentis, reddidimus et restituimus perpetuo possidendam et habendam; ita ut eedem littere seu priuilegia, si per dictos hospites in lucem deducta fuerint, iuribus careant et uigore, ac nullius sint penitus firmitatis. Ut igitur hec presens restitucio super predicta terra per nos eisdem Nicolao et Andree ac suis heredibus concessa robur optineat perpetue firmitatis, presentes concessimus litteras dvplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Gregorii Dei gracia Episcopi Chanadiensis, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M^{o}. CC^{o}. octuagesimo nono, quarto decimo kalendas Nouembris, Regni autem nostri anno decimo octauo.

(U. o. I. köt. 149. l.)

216.

IV. László király Gyumurd nevü birtokot a karokoi vendégeknek adományozza. 1289.

Ladislaus Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam — — —ie presentium volumus pervenire, quod nos quandam — — — castri nostri Albensis Transsiluanie Gyumurd vocatam, quam scilicet Rex pater noster charissimus felicis recordacionis mediante privilegio suo fidelibus hospitibus suis de Karako contulerat cum omnibus utilitatibus et pertinencijs ejusdem, sub eisdem metis et terminis, prout in privilegio dicti patris nostri charissimi vidimus contineri, reliquimus, donavimus et concessimus eisdem fidelilbus hospitibus nostris de Karako pacifice et irrevocabiliter possidendam et habendam, volentes quod ijdem hospites nostri de Karako eadem gaudeant et permaneant libertate, quam iisdem scilicet Rex pater noster charissimus mediante suo priuilegio dignoscitur concessisse. Vt — — nostre donacionis seu collacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum per quempiam possit vel debeat revocari, presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerandi patris Gregorii Dei gracia Episcopi Chanadiensis aule nostre Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, R— — decimo octavo.

(U. o. I. köt. 151. l. Sok hibával Fejérnél VII. köt. 1. r. 216. l.)

217.

IV. László király Zoich nevü birtokot, melyet tévedésből másnak adományozott, valódi tulajdonosának, nővérének Erzsébetnek adja vissza. 1289. Körül.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie significamus universis presencium per tenorem, quod terram Zoich vocatam ville Taxon immediate contiguam, sicut dicitur, a Johanne canifero nostro auferendo, quam idem Johannes a nobis tacita veritate obtinuerat, domine Elisabethe sorori nostre germane duximus restituendam, eo jure et modo, quo antea eidem domine Elisabeth germane sorori nostre dignoscimur contulisse. Vnde volumus, quod nullus judicum, vel alii aliqui, officiales ipsius sororis nostre super fundo ipsius terre audeant molestare. Datum in Orget tercio die octavarum Sancti Michaelis.

(Cornides kéziratai VIII. kötetéből. *Czech.*)

218.

Erzsébet királyné megerősíti a veszprémi egyház számára Berény tulajdonára nézve 1283-ki privilegiumát. 1289.

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in largitore salutis. Jus postulat et consentaneum fore dignoscitur racioni, ut quod cuiquam ex justis causis et titulis legitimis intervenientihus conceditur vel confertur, id solidum vel firmum debeat permanere, maxime cum aliquid in jus et proprietatem Sacrosancte Matris Ecclesie, que regenerat fideles in Christo, ex pia devocione traditur aut donatur. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod cum statu nostro erga Illustrem Principem, charissimum consortem nostrum, dominum Ladislaum tercium, Inclitum Regem Hungarie, per Dei misericordiam in melius reformato, et post congregacionem Regni Hungarie prehabitam circa Fuen, ad Comitatum Simighiensem personaliter accedentes, terras Reginales indebite, et superflue occupatas reambulari, et in jus Reginale revocari, et reduci fecissemus; Wesprimiensem nostram Ecclesiam Reginalem, cujus Presules pro tempore constituti Reginas Hungarie inungunt et coronant, et nos Reginale dyadema de manu venerabilis patris domini Pauli quondam Episcopi ejusdem Ecclesie recognoscimus recepisse, inuenimus terram bochariorum, et pincernarum Reginalium in territorio magne ville Beren de Comitatu Simighiensi circa Sumberen constitutam, et eidem Ecclesie Wesprimiensi per nos traditam, et collatam ex tenore nostri privilegij, quiete et legitime ac racionabiliter ab antiquo tempore possedisse; reducentesque et in nostri memoriam ex animo reuocantes, ut non nostris excessibus prouenientibus, sed ex suggestione emulorum nostrorum iniqua, nobis apud Ecclesiam Beate Virginis de Insula Budensi per eundem dominum Regem Ladislaum in ergastulo carceris conclusis in-

digne, ex parte eiusdem Ecclesie Wesprimiensis in largicione, et collacione bonorum temporalium, tempore necessitatis nostre beneficia et donatiua recepimus infinita, ipsam terram de Beren, simul cum suis vtilitatibus, et pertinencijs vniuersis, vineis scilicet et alijs, ipsorum beneficiorum acceptorum in recompensacionem meritoriam et condignam, sicuti nostro privilegio continetur, eidem Ecclesie, scilicet ad vsum et proprietatem Prepositi et Capituli ipsius, primam donacionem nostram de eadem factam innovantes, ratificantes et approbantes, denuo duximus presentis scripti patrocinio roborandam, et pariter confirmandam, mixtim cum alijs terris ejusdem Ecclesie in eodem territorio de Beren constitutis; omnibus populis Reginalibus de eadem terra Beren, mouere machinantibus questionem, auctoritate presencium perpetuum silencium inponentes. Vt igitur hujus nostre confirmacionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit per quempiam hominum retractari, presentes litteras sigilli nostri appensione duplicis dari fecimus communitas. Datum per manus discreti viri Magistri Pauli Cantoris Budensis Ecclesie, aule nostre Vice-Cancellarij, fidelis nostri, anno Domini M°. CC°. octuagesimo nono.

(Robert Károly király 1323-ki megerősítő privilegiumából, mely őriztetik a veszprémi káptalan levéltárában.)

219.

Erzsébet királyné helybenhagya, hogy nagyberényi hadi jobbágyai a veszprémi egyházhoz annectálhassák magokat. 1289.

Nos E. Dei gracia Regina Hungarie memorie commendantes significamus universis quibus expedit presencium per tenorem, quod discreto viro magistro Andronico Wesprimiensis Ecclesie Preposito ab una parte, et Jacobo filio Chede, Marco Nicolao, et Dominico fratribus ejusdem, item Bothisio filio Salumbuth, Paulo, et Demetrio fratribus predicti Bothisij similiter de villa Nogberen ex altera, coram nobis personaliter constitutis, (iidem) concorditer retulerunt, quod licet terram, seu villam nostram Nogberen vocatam Ecclesie Wesprimiensi, imo Preposito ipsius Ecclesie, literis nostris priuilegialibus mediantibus perpetuo possidendam contulissemus, quia tamen predicti Jacobus et Bothisius, ac eorundem fratres jobagiones nostri exercituales erant, et inter ipsos, ac magigistrum A. Prepositum tractu temporis occassione terre eorum hereditarie, aut empticie, materia scandali potuisset forsitan generari, idem Jacobus et Bothisius, ac eorum fratres superius notati, in eadem condicione jobbagionatus, in qua nobis tenebantur, annexerunt se Ecclesie nostre Wesprimiensi sponte seu ultronea voluntate sua, simul cum omnibus terris, seu possessionibus eorum, tam hereditarijs quam empticijs, quocunque nomine censeantur, de nostro beneplacito et consensu ac permissione speciali; volentes, quod sepedicti Jacobus, Bothisius, et eorum fratres, heredesque ipsorum universi. illa per omnia pociantur de cetero libertate, qua veri, primi, et naturaliter nobiles jobbagiones Ecclesie supradicte congratulantur, nostrum in hac parte authoritate presencium consensum dantes Reginalem. Datum in Villa Alta in crastino festiuitatis Sancti Galli Coufessoris, anno Domini M° CC° octuagesimo nono.

(A székesfehérvári káptalan 1358-ki átiratából, mely őriztetik a veszprémi káptalan levéltárában.)

220.

A budai káptalan bizonyságlevele, hogy Jak gróf Kartal nemzetségből, fiával Bekével Kartal és Ságh birtokában osztozkodott.
1289.

Nos Capitulum Budensis Ecclesie damus pro memoria, quod Comes Jak ad genere Kartal ad nostram personaliter accedens presenciam dixit nobis protestando, quod ipse in possessionibus suis hereditaris acquisitis et empticis (így) cum Beke filio suo diuisionem habuisset, dando et rel — — endo ipsi Beke possessiones suas Kartas et Sagh vocatas, et vnum libertinum cum duobus filijs suis, ac boues sufficientes ad vnum aratrum perhenniter possidendum; quam díuisionem ijdem Beke, Pethew et Poton et Rap, fratribus suis, principaliter volentibus, permittentibus et consencientibus acceptauit, et per omnia ratam habuit atque gratam. Datum in octauis Natiuitatis Domini anno eiusdem M°. CC°. octuagesimo nono.

(Mátyás király 1467-ki átiratából, mely a hg. Grassalkovics-féle pozsonyi levéltárban őriztetik. Közli *Ráth Károly.)*

221.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Korchai Suge intézkedéséhez képest annak örökösei Boxa nevű szolgáját szabaddá bocsátották. 1289.

A. B. C.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in salutis auctore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam personaliter quedam domina Chanir nomine, filia Suge de Corcha, pro se et pro Petro fratre suo paruolo, sicut dixit, ac pro duabus sororibus suis Thene et Pytho uocatis, et eciam pro Luca cognato suo filio Vrochi nobis exposuit oraculo viue uocis, quod cum in retroactis temporibus pater eiusdem domine Chanir, predictus Suge bone memorie, dum adhuc uiueret, quendam seruum suum Boxa nomine, quem de quadam ancilla sua empticia carnaliter per ipsum cognita genuerat, pro Deo et pro salute anime sue, et presertim, quia de proprio suo semine idem Boxa fuerat procreatus, manumisisset atque libertati donasset, nunc ex nouo eadem domina Chanir, tam pro se, quam pro Petro fratre suo, et pro sororibus antedictis Thene et Pytho uocatis, ac eciam pro Luca cognato suo, cum consensu et beneplacito eorundem sicut dixit, eundem Boxam cum omni posteritate sua pro Deo et pro salute anime patris sui in nostri presencia manumisit, atque perpetue donauit liberati, dando eidem Boxe et sue posteritati liberam facultatem ubicunque et apud quoscunque uoluerit commorandi; et in supra obligauit se eadem domina Chanir pro Petro fratre suo et pro sororibus suis prenominatis, ac pro Luca, quod quicunque processu temporum, eundem Boxam uel suam posteritatem racione pristine seruitutis attemptaret impetere uel uexare, tenerentur ipsum Boxam et suam posteritatem

expedire proprijs laboribus et expensis. In cujus rei memoriam presentes nostras concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas, anno Domini M°. C°C°. L°X°X°X°. nono in quindenis Beati Micaelis Archangeli.

(Hártya. A pecsét vörös-zöld selymen függ. Pozsonykáptalani országos levéltár; Capsa XIV. Fasc. 23. Nr. 19. *Knaus.*)

222.

László Korchai Saul fia meghalt testvére nejét Aglonchat, 6 girát fizetvén neki, mennyasszonyi hozományát és a negyedrészt illetőleg kielégíti a pozsonyi káptalan előtt. 1289.

A. B. C. D. E.

Vniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in salutis auctore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod constituti coram nobis personaliter Tolnecus filius Tecus, et filia eiusdem Aglonch nomine, relicta Alexandri filij Sauli de Corcha, cum duabus paruunculis filiabus suis Elizabet et Margareta uocatis ab una parte, et Ladislaus filius Sauli, frater predicti Alexandri pro se et pro filijs suis Chelleo et Johanne ab altera, sunt confessi uiua uoce, quod licet mota fuerit materia questionis inter ipsos super dote et rebus parafarnalibus predicte domine Aglench, et quarta parte paternarum possessionum predictas filias eiusdem domine contingente, sicque diu ordine judiciario altercati fuissent, tandem ad ultimum mediantibus probis viris taliter concordassent, quod idem Ladislaus pro dote et dotalicijs ac rebus parafarnalibus predicte domine, et quarta parte filiarum eiusdem, deberet soluere sex marcas, quas quidem sex marcas ijdem Tolnecus et domina Aglench filia sua

pro se et pro duabus filiabus suis supradictis confessi sunt ab ipso Ladislao se recepisse plenarie et habere, et sic ipsum Ladislaum et filios suos Chelleum et Johannem de dote et dotalicijs predicte domine, et quarta parte filiarum eiusdem, ipse Tolnecus et eadem domina Aglench reddiderunt in nostri presencia penitus expeditos, obligantes se, quod quicunque processu temporum ipsum Ladislaum aut filios suos predictos Cholloum (igy) et Johannem racione dotis et rerum parafernalium predictarum, ac quarta parte sepius nominata uoluerit inpetere uel vexare, extunc eadem domina et predictus Tolnecus tenebuntur eos expedire proprijs laboribus et expensis. In cuius rei memoriam presentes nostras concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno Dom. M°m. C°C° L°X°X°X° nono.

(Hártyán igen apró betűkkel írva. A még ép pecsét szinte hártyaszeleten függ. Pozsonykáptalani országos levéltár. Capsa XIV. Fasc. 10. Nr. 12. *Knauz*).

223.

A pozsonyi káptalan bizonyságlevele, hogy Arnold Endre fia és Jakab Betckhez fia párviadal által Zopkyben lévő földre vonatkozó perüket eldöntették. 1289.

A. B. C.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Capitulum Ecclesie Posoniensis salutem in salutis actore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constituti coram nobis personalter Arnoldus filius Andree de inferiori Zopy, de Comitatu Jauriensi pro se et pro Desiderio et Andrea filijs Sacud, ac pro omnibus alijs cognatis suis in proximiori linea sibi attinentibus ab una parte, et Jacobus filius Betchkez de superiori Zopy de Chollokuz

ab altera sunt confessi oraculo uiue vocis, quod cum susscitata fuisset inter ipsos materia questionis super quadam particula terre Zopy uocata, scilicet viginti et quinque jugeribus terre in Chollokuz existentibus, quam idem Arnoldus ab ipso Jacobo recipere et pro se occupare intendebat, et diu ordine iudiciario altercati — — — ad ultimum per iudicium Eberhardi Comitis Posoniensis idem Arnoldus cum predicto Jacobo in proprijs personis duelli certamen, in — — quo quidem conflictu duelli ipse Arnoldus fortuna sinistrante superatus et deuictus exstitisset per Jacobum supradictum, et ideo ipsa viginti et quinque iugera terrarum arabilium eidem Jacobo et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus restituisset iusticia exigente quiete et libere perpetuo possidenda, obligando se, quod quicunque processu temporum ipsum Jacobum, pro viginti et quinque jugeribus de cognatis eiusdem Arnoldi superius expressis uexare uel inpetere de cetero attemptauerit, idem Arnoldus teneretur eum expedire proprijs laboribus et expensis. Datum anno Domini M°. C°C°. L°X°X°X°. nono, in quindenis Beati Georgij Martiris.

(Szakadozott hártya. A már leesett pecsét hártyaszinegen függött. — Pozsonykáptalani országos levéltár Capsa XIV. Fasc. 17. Nr. 11. *Knauz.)*

224.

Tamás tihanyi apát Urkuta nevü földét szőlőmivelés végett átengedi bizonyos feltételek alatt több esztergami lakosnak. 1289.

Nos frater Thomas miseracione Diuina Abbas Tihoniensis memorie commendamus significantes vniuersis, quod terras nostras in Strigonio existentes Vrkuta vocatas, pro vineis aptas, dedimus et contulimus populis de eadem ciuitate sub tali condicione et libertate. Primo et principaliter magistro Chepano Canonico Ecclesie Strigoniensis vnam vineam propriam, tenetur nobis soluere annuatim quinquaginta denarios Vyennenses. Insuper juxta eandem vineam viginti duos amplexus terre cum amplexu Regio, de quibus nullum pactum nobiscum fecit. Ibidem juxta eandem viam vinea Adalberti fili Miko hoc anno plantata, de qua ab isto anno incipiendo anno quinto quinquaginta denarios annuatim soluere tenebitur. Juxta vineam eciam eiusdem magistri Chepani antedicti a parte meridionali vinea Ladizlai fabri, pro qua anno secundo quinquaginta denarios soluere tenebitur. A parte eiusdem vinee orientali vinea Petri fili Mark, pro qua annuatim ab anno secundo quinquaginta denarios. Item circa eandem vineam vinea Petri filij Lyberch, de qua annuatim ab anno secundo incipiendo quadraginta denarios. Item ibidem vinea Mychaelis sartoris, pro qua ab isto anno incipiendo annuatim quinquaginta denarios. Item ibidem Marcus Ympa, pro qua a tercio anno incohato annuatim quinquaginta denarios. Item vinea Jacobi Luaz, pro qua a quinto anno incipiendo annuatim quinquaginta denarios. Item vinea Pechke filii Symonis, pro qua a quarto anno incohato annuatim quinquaginta denarios. Item Johannes filius Cheech a quarto anno incipiendo annuatim quinquaginta denarios. Item Paulus filius Pousa ab anno secundo quinquaginta denarios. Item Paulus filius Mychaelis de media vinea a quinto anno annuatim viginti quinque denarios. Item Maranus filius

Furna de media vinea similiter quinto anno viginti quinque denarios. Item Nycolaus filius Petri quinque anno similiter viginti quinque denarios. Item Chede carnifex similiter viginti quinque denarios anno tercio. Item Nycolaus filius Pauli quadraginta denarios anno tercio. Item Jurd anno quarto viginti quinque denarios. Item Boch et Stephanus quinquaginta denarios anno quarto. Ita videlicet, quod totam istam solucionem in octauis Sancti Mychaelis Archangeli in autumpno facere tenebuntur, et si facere recusarent, cum duplo soluere teneantur, sicut ad hoc se firmiter obligarunt spontanea voluntate. Prefatas ergo vineas ipsi et sui heredes heredumque successores sub eadem libertate vendere inter ipsos valeant atque possint; ita eciam, quod si vinee memorate inculte remanerent, iterato nobis deuoluentur possidende. Datum anno Domini M⁰ CC⁰ octoagesimo nono. Paulo Custode nostro, Clemanno sacerdote, Benedicto Cantore existentibus.

(Az esztergami káptalannak 1289. XV. Kal. Julii alatti megerősítéséből, a veszprémi káptalan 1353. Oculi vasárnapján kelt átírata szerint, mely a sz. mártoni főapátság levéltárában őríztetik.)

225.

IV László a dézsvári vendégek kérelmére azon régibb szabadalmukat, hogy a téli időben apró holmijaikért szerzett sójokat Sz. György napjáig szabadon széthordhassák és eladhassák, megerősíti. 1290.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis presencium per tenorem, quod cum hospitum nostrorum de Deeswar libertas ab antiquo instituta et ordinata id requirat, vt sales, quos ijdem tempore yemali pro rebus ipsorum minutis comparauerint, ab omni iurisdiccione et potestate Waynode Transiluani et Comitis de Zonuk, aut officialium Comitum Camere nostre, pro tempore constitutorum, liberi sint et exempti, ipsos in libertate eorum, ab antiquo instituta et ordinata, dignaremur conseruare. Nos itaque peticionem dictorum hospitum nostrorum fore iustam, et legitimam esse attendentes, et libertatem primitus eisdum concessam et ordinatam immutabiliter obseruantes, statuimus et ordinauimus, vt sales quos dicti hospites nostri tempore yemali cum rebus ipsorum minutis comparauerint, ab omni iurisdiccione et potestate Woynode Transsiluani et Comitis de Zonuk, aut officialium Comitum Camere pro tempore constitutorum, usque octauas Sancti Georgij martyris, uendendi et descendendi cum eisdem in curribus liberam habeant facultatem, nec aliquis Wayuoda, aut officialis Comitum Camere, eosdem racione huiusmodi salium presumat molestare. (D)atum in Cheenk in festo Pentecostensi, anno Domini M°. CC°. nonagesimo.

(Eredetie Dézs város levéltárában. *Szabó Károly.)*

226.

IV. László király István és Miklós testvéreket a Bakony vidékéről, hű szolgálataikért földekkel adományozza meg. 1290.

Ladizlaus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum tam presencium, quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod nos consideratis fidelitatibus et seruiciorum meritis Comitis St(ephani) et Nicolai fratris eiusdem de Bokon fidelium nostrorum, que nobis in diuersis negociis et expedicionibus Regni nostri fideliter impenderunt et deuote, et specialiter tunc, cum castrum Parastyan nuncupatum expugnare voluissemus, iidem Comes St(ephanus) et Nicolaus frater suus in expugnacione ipsius castri coram oculis nostre Maiestatis fideles et laudabiles exhibuerunt famulatus, vbi dictus Comes St(ephanus) letaliter extitit volneratus; nos, qui ex officio suscepti regiminis metiri debemus merita singulorum et vnicuique iuxta suorum exigenciam meritorum respondere muneribus donatiuis, in recompensacionem tam fidelium seruiciorum prefati Comitis St(ephani) et Nicolai fratris sui, quasdam terras, scilicet scutiferorum nostrorum Nylas vocatam; item terram Ducatus et terram tawarnicorum nostrorum — — nominatam, cum omnibus utilitatibus suis, uineis scilicet ac pertinenciis earundem, dedimus, donauimus ac contulimus eisdem Comiti St(ephano) et Nicolao fratri suo ac per eum eorum heredibus, heredumque suorum successoribus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tenendas et habendas, quemadmodum dudum eisdem dinosscimur contulisse. Vt igitur huiusmodi collacio per nos facta robur obtineat perpetue firmitatis, nec ullo unquam tempore per quempiam possit vel debeat retractari, presentes concessimus dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis

patris Gregorii Dei gracia Episcopi Chanadiensis aule nostre Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° nonagesimo; Regni autem nostri anno decimo octauo.

(Eredetie a veszprémi káptalan levéltárában.)

227.

IV. László magyar király megtagadja a budai vár polgáraitól a kért vásártartási jogot. 1290.

Nos Ladislaus Dei gracia Rex Hungarie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod licet ciues nostri de castro Budensi a nobis petiuissent annuatim nundinas celebrari; tamen quia considerauimus sororibus de Insula Virginis Gloriose dampnum per hoc in tributo suo non modicum generari, ad peticionem et instanciam domine Elysabeth sororis nostre karissime concessimus, ut ipse nundine non debeant celebrari, prout eisdem ciuibus concessum non exstitit vsque modo. Datum Bude die Dominico ante festum Marie Magdalene anno Domini M°. CC°. nonagesimo.

(Az eredeti után. *Czech*)

161.

IV. Miklós pápa 1) Benvenutót eugubiai püspököt apostoli követül küldi Magyarországba és az ahhoz szomszéd országokba. 1290.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Benevenuto Episcopo Eugubino, Apostolice Sedis Legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Descendit de celis Deus verus a patre genitus, ut hominem perditum ad Regna celestia revocaret, mundumque relinquens in celestia elevatus super excelsa celorum terrenum corpus imposuit in gremio immortalitatis, mortali natura transfusa, suo in terris relicto vicario, ne gregi proprio redempto cruore pastoralis officii cura deesset, qui in partem sollicitudinis alios advocaret ministros ad officii sui debitum exercendum, ubi ipsius corporalis absentia illud personaliter solvere prohiberet. Unde cum simus universis renatis fonte baptismatis debitores, ne remotos nostra solertia curiosa pretereat, nonnunquam ad ipsos personas idoneas vice nostra dirigimus, ut per earum studia sollicitudinis nostre residuum dispensetur. Necessitates igitur et erumpnas multiplices Regni Ungarie Apostolice Sedi frequenter expositas compassivis visceribus attendentes, cui Principes incliti, prout habet preteritorum memoria, non solum claruerunt titulis meritorum, verum etiam coruscavere miraculis, ad subveniendum super eis ipsi Regno remediis oportunis accendimur, quod ex eo potissimum sunt exorte, quia, sicut sepius inculcata fide digna relatio publicavit, carissimus in Christo filius noster . . . Rex Regni prefati sue salutis immemor ac proprii prodigus honoris et status, in devium lapsus erroris, et a fide exorbitans, Tartarorum, Sarracenorum, Neugeriorum et paganorum nephandos ritus amplectitur, cum quibus in dispendium fidei et exterminium dicti Regni horrendo federe est coniunctus; quos etiam contra fideles in numero gravi in Regnum ipsum inducere non expavit, nobili muliere E. Regina Ungarie, filia clare memorie C.

Regis Sicilie, uxore sua a se prorsus abiecta; unde eiusdem Regni multimode turbato regimine, ecclesiarum iura et aliorum piorum locorum temere usurpantur, ac bona fidelium in Regno ipso multis direptionibus ac vastationibus exponuntur, et libertas ecclesiastica conculcatur, ex hiis animarum deploranda pericula et horrenda contingunt excidia personarum, et multiplicatis in Regno ipso dissidiis, alia non facile numeranda discrimina subsequuntur. Ideoque magno desiderio ducimur, tantis obviare periculis, et Regni eiusdem statui miserabili subvenire, ut tam procellosis fructibus Deo actore sedatis, eidem Regno pacis illucescat aurora. Ad te igitur mentis oculos convertentes, cuius prudentiam et probitatis merita experientia nota fecit, et sperantes firmiter, quod circa executionem eorum, que in hac parte tibi committimus, operose sollicitudinis studium ad Dei laudem et gloriam exhibebis, te ad ipsius Ungarie Regnum, necnon Dalmatie, que Ungarie Regibus solet esse subiecta, ac Austrie, Stirie, Carinthie, Cumanie ac Bosne partes, commisso tibi in Regno et partibus supradictis plene legationis officio, ut in eis evellas et destruas, dissipes et dispendas, edifices et plantes in nomine Domini, sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consensu velut pacis angelum destinamus; iniuncto tibi nichilominus, ut prefatum Regem ad viam veritatis et fidei, et Christiane religionis cultum et ritum a tanti erroris devio studeas revocare, ipsum, ut predictam uxorem suam ad se reducat, ac maritali affectione pertractet, solerter inducens, inter Regem ipsum et eiusdem Regni Ungarie personas, nec non tam in Regno ipso, quam in aliis partibus supradictis inter ecclesiasticas personas ac seculares cuiuscumque condilionis, preminentie sive status pacem et concordiam reformare procures, et reintegrationem ecclesiastice libertatis et alia promovere, que ad relevationem pauperum oppressorum, animarum salutem, et tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus iniunctum tibi onus laboris huiusmodi pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia prompta devotione suscipiens, illud sic sollicite, sic diligenter et provide iuxta datam tibi ex alto prudentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, superna favente

clementia, sperati fructus proveniant, optata commoda producantur, tuque illam, que pias causas gerentibus pro retributione rependitur, palmam glorie feliciter merearis. Ceterum volumus, tibi expressius iniungentes, ut si Tartari, Sarraceni, Neugerii, et pagani predicti, vel ipsorum aliqui suos conatus nepharios contra fidei orthodoxe cultores infra fines tue legationis exercere presumpserint, ne ipsorum crudelitas in eiusdem fidei dispendium invalescat, adversus eos et alios adherentes eisdem, vel ipsos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscunque status, aut conditionis extiterint, ac etiam contra hereticos, qui de diversis mundi partibus in nonnullis locis tue legationi subiectis, sicut asseritur, convenerunt, omnibus Christi fidelibus per Regnum Ungarie supradictum ac alias dicte legationis partes per te, vel per alium seu alios verbum crucis sollicite proponere studeas, et ad eam promptis animis assumendam Christianum populum exhortari. Nos enim omnibus vere penitentibus et confessis, qui signum crucis contra infideles assumpserint prelibatos, illam concedendi indulgentiam tibi auctoritate Apostolica concedimus potestatem, quam proficiscentibus in terre sancte subsidium Apostolica Sedes concedere consuevit. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. kal. Junii. Pontificatus nostri anno tertio.

(In margine : Legatio ista non habuit effectum).

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner Monumenta Historica Hung. I. köt. 361. l.)

229.

2) IV. Miklós pápa IV. László magyar királyt inti, hogy Benvenuto püspök és apostoli követ tanácsára hajoljon. 1290.

Nicolaus Eqiscopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio L. Regi Ungarie Illustri, salutem et Apostolicam benedictionem. Si sollicite considerationis indagine perscruteris et infra claustrum pectoris sedula meditatione revolvas, evidenter agnosces, tibique lucidis patebit indiciis, quod circa personam tuam Romana Ecclesia, utpote pietatis amica, benignitate plena et amatrix sollicita filiorum materna viscera baiulat, materne servat dilectionis affectum, dum, etsi per insolentie opera, pravitatis actus ausus que illicitos, ne dicamus nepharios, que cautius vitare debueras, ab ipsius Ecclesie devotione recesseris, teque a dulcibus eius amplexibus elongaveris, ipsa tamen tue salutis anxia et Regii desideratrix honoris, ne te in precipitium abire contingeret, aut in tam irreparabilem casum ruinosum incurreres, vel in malorum profundum periculosius labereris, te tamquam filium predilectum a via mala pravisque retrahere studiis, ad actus revocare laudabiles et ad semitam salutarem sategit hactenus, et adhuc satagit operosa reducere, studium adhibendo sollicitum, opemque multiplicem tribuendo, ut ex huius sue sedulitatis laboribus optati fructus cumulus proveniret. Credimus etenim Regiam retinere memoriam, qualiter olim felicis recordationis Nicolaus Papa tertius, predecessor noster, ad tuum et Regni Ungarie statum pacificum et tranquillum sollerter intendens, ac ferventer cupiens, ut sedatis omnino, quibus Regnum ipsum tunc temporis operiebatur, fluctibus procellosis, quosque adhuc prohdolor turbo continuate turbationis adauget, Regnum ipsum ad votive stationis contingeret commoda revocari, venerabilem fratrem nostrum . . . Firmanum Episcopum ad Regnum ipsum duxit fiducialiter destinandum, commisso in eo sibi legationis officio, ut circa statum huius-

modi posset facilius et efficacius provideri; pieque memorie Honorius Papa quartus predecessor noster, cum ad eius notitiam pervenisset, quod tu vesanis adherens consiliis Christiana religione postposita, tueque salutis consideratione neglecta, in Divine Maiestatis contemptum cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis et paganis conversationis dampnate commercio confederationem duxeras ineundam, nepharia vivendi specialiter cum ipsis Neugeriis norma sumpta; quodque carissima in Christo filia nostra E. inclita Regina Ungarie, uxore tua, impudenter abiecta, thorum eius fedare presumpseras coniugalem, reddendo te proinde Deo et hominibus odiosum, te ad vite laudabilis studia et salubris conversationis effectum revocare desiderans, tibi paternas et affectione plenas suas litteras destinavit, te ad hoc per se ac alios, etiam salutaribus monitis et attentis exhortationibus inducendo, ut dampnatis Tartarorum et aliorum predictorum erroribus penitus derelictis, predictam Reginam, quam indigne abieceras, non indigne resumeres, ac eam in securo statu conservans et retinens, ipsam maritalis affectionis studio pertractares. At tu per abrupta indevotionis oberrans et ad inobedientie detestande duritiem te convertens, huiusmodi monitionibus et exhortationibus, quas pii patris producebat effectus, parere humiliter, prout nobis clamoris validi revelat assertio, non curasti. Nos autem de tuo et eiusdem Regni statu sollicite cogitantes, et cupientes admodum personam tuam, ne te diutius a gregis caula dominici dispendiosius oberrare contingat, ad meliora favente Domino consilia et ad actus reducere salutares, venerabilem fratrem nostrum Benevenutum Episcopum Eugubinum, exhibitorem presentium, consilio providum, virtutibus insignitum, ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad te ac prefatum Regnum Ungarie, commisso sibi in eo ac in nonnulis aliis partibus plene legationis officio, tanquam pacis angelum destinamus. Serenitatem igitur Regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus Episcopum ipsum pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia benigne recipiens et honorificentia condigna pertractans, verba eius devote audias et intelligas diligenter, ac eius salubribus monitis, exhortationibus et mandatis tamquam benedictionis filius promptis animis acquiescas, sic te in hiis efficaciter et

laudabiliter habiturus, ut eum, qui Regibus et Principibus dat salutem, et quem errores predictos detestabiliter imitans multipliciter offendisti, placatum tibi constituas et benignum, fameque Regie deperditos tiulos non absque uberi mortalium commendatione restaures, ac dicte Sedis gratiam, quam libenter ad filios devotionis extendimus, possis uberius promereri: alioquin dissimulare non poterit Sedes ipsa, quin contra te tuosque in hac parte fautores procedat spiritualiter et temporaliter, prout iustitia exiget et viderit. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 362. l.)

230.

IV. Miklós pápa ugyan azon követség tárgyában 3) Rudolf római-német királyhoz; 4) Albert ausztriai herczeghez, 5) II. Venczel cseh királyhoz; 6) a lengyel herczegekhez. 1290.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio R. Regi Romanorum Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Confidimus, fili carissime, quod tu tanquam Princeps Catholicus et devotus mentem tuam ad celestia desideria dirigens, circa illa te promptum et paratum exhibeas, que superno sint accepta conspectui, tue salutis profectum respiciant et procurent fidei Christiane continuum incrementum. Sane didicisse te credimus, quam reprehensibiliter hactenus, quamque inhoneste, quinimo periculose se gesserit . . . Ungarie Rex, qui vesanis adherens consiliis et a via veritatis exorbitans, Christiana religione postposita, se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis, et paganis dampnate conversationis audacia fedus asseritur contraxisse, sumpta norma nepharia specialiter vivendi cum Neugeriis supradictis, ac

turpiter et impudenter, abiecta coniuge propria, Regalibus utique orta natalibus et honeste conversationis ac vite titulis insignita, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Illustri Regina Ungarie, crudeliter seviens in se ipsum et domum Ungarie inclitam Regibus pollere Catholicis consuetam, thorum fedare non metuit coniugalem in grandem superne Maiestatis offensam, grave sue salutis dispendium et scandalum fidelium plurimorum. Nos autem equanimiter ferre talia et tam gravia non valentes, et cupientes per Apostolice Sedis providentiam oportunum super hiis Domino favente remedium adhiberi, venerabilem fratrem nostrum B. Episcopum Eugubinum, virum utique virtutibus insignitum ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad Regnum Ungarie, commisso sibi plene legationis officio in eodem Regno, nec non Dalmatie, que Ungarie Regibus solet esse subiecta, Austrie, Styrie, Carinthie, Cumanie et Bosne partibus, tanquam pacis angelum destinamus, sibi per alias litteras nostras iniuncto, ut si Tartari, Sarraceni, Neugerii et pagani prefati, suos conatus nepharios contra fidei orthodoxe cultores exercere presumpserint, ne ipsorum crudelitas in eiusdem fidei dispendium invalescat, adversus eos et alios adherentes eisdem, vel ipsos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscumque preminentie, dignitatis, status aut conditionis existerent, ac etiam contra hereticos, qui de diversis mundi partibus in nonnulis locis sue legationi subiectis, sicut asseritur, convenerunt, omnibus Christi fidelibus per Regnum Ungarie supradictum ac alias dicte legationis partes per se, vel per alium seu alios verbum crucis sollicite proponere studeat, et ad eam promptis animis assumendam Christianum populum exhortari. Rogamus itaque Celsitudinem Regiam et hortamur in filio Dei patris, in remmissionem tibi peccatorum iniungentes, quatenus diligenti meditatione recogitans, quod per hoc posset Catholice fidei non modicum deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, et paganos eosdem prefato Episcopo pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia, cum super hoc et aliis etiam sue legationis negotiis ex parte ipsius Episcopi contigerit te requiri, assistere studeas consiliis et favoribus oportunis, ut illorum dampnatis et repressis erroribus et pravis conatibus penitus vacuatis, tibi exinde

ex alto proveniat premium, quod pro piis actibus compensatur, nosque devotionem Regiam uberibus in Domino laudibus attollamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. nobili viro A. Duci Austrie verbis competenter mutatis.

In e. m. carissimo in Christo filio . . . Regi Boemie Illustri sub dato apud Urbem veterem X. kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. nobilibus viris universis Ducibus Polonie sub dato apud Urbemveterem X. kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. köt. 363. l. Az Albert ausztriai herczeghez intézett pápai levélnek egész szövege olvasható Fejérnél Cod. Dipl. V. köt. 3. r. 494. l.)

231.

7) IV. Miklós pápa Magyarország és a szomszéd vidékek rendeit általában felszolítja, hogy Benvenutot eugubiai püspököt apostoli követségének ügyeiben támogassák.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei nobilibus viris Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus et vniuersis Christi fidelibus per Regnum Ungarie, Austriam, Styriam, Carinthiam, Cumaniam et Bosnam constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Confidimus, filii carissimi, quod vos tanquam fideles filii et devoti, mentem vestram ad celestia desideria dirigentes circa illa vos promptos et paratos exhibeatis, que superno sint accepta conspectui, vestre salutis profectum respiciant et procurent fidei Christiane continuum incrementum. Sane didicisse vos credimus, quam reprehensibiliter hactenus quamqe inhoneste, quinimo periculose se ges-

serit . . . Ungarie Rex, qui vesanis adherens consiliis et a via veritatis exorbitans, Christiana religione postposita, se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis, et paganis dampnate conversationis audacia fedus asseritur contraxisse; sumpta norma nepharia specialiter vivendi cum Neugeriis supradictis, ac turpiter et impudenter abiecta coniuge propria, Regalibus utique orta natalibus et honeste conversationis ac vite titulis insignita, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Illustri Regina Ungarie, crudeliter seviens in se ipsum et domum Ungarie inclitam Regibus pollere Catholicis consuetam, thorum fedare non metuit coniugalem in grandem superne Maiestatis offensam, grave sue salutis dispendium et scandalum fidelium plurimorum. Nos autem equanimiter ferre talia et tam gravia non valentes, et cupientes per Apostolice Sedis providentiam oportunum super hiis Domino favente remedium adhiberi, venerabilem fratrem nostrum B. Episcopum Eugubinum, virum utique virtutibus insignitum ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad Regnum Ungarie, commisso sibi plene legationis officio in eodem Regno, nec non Dalmatie, que Ungarie Regibus solet esse subiecta, Austrie, Styrie, Carinthie, Cumanie et Bosne partibus, tanquam pacis angelum destinamus, sibi per alias litteras nostras iniuncto, ut si Tartari, Sarraceni, Neugerii et pagani prefati suos conatus nepharios contra fidei orthodoxe cultores exercere presumpserint, ne ipsorum crudelitas in eiusdem fidei dispendium invalescat, adversus eos et alios adherentes eisdem, vel ipsos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscumque preminentie, dignitatis, status aut conditionis extiterint, ac etiam contra hereticos, qui de diversis mundi partibus in nonnullis locis sue legationi subiectis, sicut asseritur, convenerunt, omnibus Christi fidelibus per Regnum Ungarie supradictum ac alias dicte legationis partes per se, vel per alium seu alios verbum crucis sollicite proponere studeat, et ad eam promptis animis assumendam christianum populum exhortari. Rogamus itaque nobilitatem vestram et hortamur in filio Dei patris in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus diligenti meditatione recogitantes, quod per hoc posset Catholice fidei non modicum deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios et paganos

eosdem prefato Episcopo pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia, cum super hoc et aliis etiam sue legationis negotiis ex parte ipsius Episcopi contigerit vos requiri, assistere studeatis consiliis, auxiliis et favoribus oportunis, ut illorum dampnatis et repressatis erroribus et pravis conatibus penitus vacuatis, vobis exinde ex alto proveniat premium, quod pro piis actibus compensatur, nosque devotionem vestram uberibus in Domino laudibus attolamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 494. l.)

232.

8) IV. Miklós pápának ugyanazon értelemben János, Miklós és Henrik szlavoniai bánokhoz intézett felszólítása.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei nobilibus viris Johanni, Nicolao et Henrico filiis Henrici, fratribus Banis Sclavonie salutem et Apostolicam benedictionem. Speramus firmiter, quod vos tanquam fideles filii et devoti mentes vestras ad celestia desideria dirigentes, circa illa vos promptos et paratos exhibere curetis, que superno sint accepta conspectui, salutis vestre profectum respiciant et procurent fidei Christiane continuum incrementum. Sane ad audientiam vestram credimus pervenisse, quam reprehensibiliter hactenus quamque inhoneste, quinimo periculose se gesserit . . . Ungarie Rex, qui vesanis adherens consiliis et a via veritatis exorbitans, Christiana religione postposita, se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis, et paganis dampnate conversationis audacia fedus asseritur contraxisse, sumpta norma nepharia specialiter vivendi cum Neugeriis supradictis, ac turpiter et impudenter abiecta coniuge propria, Re-

galibus utique orta natalibus et honeste conversationis ac vite titulis insignita, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Illustri Regina Ungarie, crudeliter seviens in se ipsum et domum Ungarie inclitam Regibus pollere Catholicis consuetam, thorum fedare non metuit coniugalem in grandem superne Maiestatis offensam, grave sue salutis dispendium et scandalum fidelium plurimorum. Nos autem equanimiter ferre talia et tam gravia non valentes, et cupientes per Apostolice Sedis providentiam oportunum super hiis Domino favente remedium adhiberi, venerabilem fratrem nostrum B. Episcopum Eugubinum, virum utique virtutibus insignitum ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad Regnum Ungarie, commisso sibi plene legationis officio in eodem Regno, nec non Dalmatie, que Ungarie Regibus solet esse subiecta, Austrie, Styrie, Carinthie, Cumanie et Bosne partibus, tanquam pacis angelum destinamus, sibi per alias litteras nostras iniuncto, ut si Tartari, Sarraceni, Neugerii et pagani prefati, suos conatus nepharios contra fidei orthodoxe cultores exercere presumpserint, ne ipsorum crudelitas in eiusdem fidei dispendium invalescat, adversus eos et alios adherentes eisdem vel ipsos in hiis quomodolibet confoventes, cuiuscumque preminentie, dignitatis, status aut conditionis extiterint, ac etiam contra hereticos, qui de diversis mundi partibus in nonnullis locis sue legationi subiectis, sicut asseritur, convenerunt, omnibus Christi fidelibus per Regnum Ungarie supradictum ac alias dicte legationis partes per se, vel per alium seu alios verbum crucis sollicite proponere studeat, et ad eam promptis animis assumendam Christianum populum exhortari. Rogamus itaque nobilitatem vestram et hortamur in filio Dei patris, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus attendentes sollicite, quod per hoc posset Catholice fidei non modicum deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, paganos, scismaticos, hereticos et adherentes predictis, prefato Episcopo pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia, cum super hoc et aliis etiam sue legationis negotiis ex parte ipsius Episcopi contigerit vos requiri, assistere studeatis consiliis, auxiliis et favoribus oportunis, ut illorum dampnatis et repressis erroribus et pravis conatibus penitus vacuatis, vobis exinde ex alto

proveniat premium, quod pro piis actibus compensatur, nosque devotionem vestram uberibus in Domino laudibus attollamus. Datum apud Urbem Veterem X. kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Miklós pápa Regestáiból, Theinernél id. m. I. k. 494. l.

233.

9) IV. Miklós pápa ugyanazon tárgyban Radoszlaw és István szlavoniai bánokhoz.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei nobilibus viris Radesclavo et Stephano fratribus Banis Sclavonie salutem et Apostolicam benedictionem. Speramus firmiter, quod vos tamquam fideles filii et devoti mentes vestras ad celestia desideria dirigentes circa illa vos promptos et paratos exhibere curetis, que superno sint accepta conspectui, salutis vestre profectum respiciant et procurent fidei Christiane continuum incrementum. Sane ad audientiam vestram credimus pervenisse, quam reprehensibiliter hactenus quamque inhoneste, quinimo periculose se gesserit . . . Ungarie Rex, qui vesanis adherens consiliis et a via veritatis exorbitans, Christiana religione postposita, se cum Tartaris, Sarracenis, Neugeriis, et paganis dampnate conversationis audacia fedus asseritur contraxisse, sumpta norma nepharia specialiter vivendi cum Neugeriis supradictis ac turpiter et impudenter abiecta coniuge propria, Regalibus utique orta natalibus et honeste conversationis ac vite titulis insignita, videlicet carissima in Christo filia nostra E. Illustri Regina Ungarie, crudeliter seviens in se ipsum et domum Ungarie inclitam Regibus pollere catholicis consuetam, thorum fedare non metuit coniugalem in grandem superne Maiestatis offensam, grave sue salutis dispendium et scandalum fidelium plurimorum.

